DE

PHÆDRI SERMONE

GRAMMATICÆ OBSERVATIONES

THESIN

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

C. CAUSERET

GALLICÆ UNIVERSITATI AGGREGATUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, BIBLIOPOLAS

6, VIA DICTA DES SAINTS-PÈRES, 6

1886

DE

PHÆDRI SERMONE

GRAMMATICÆ OBSERVATIONES

THESIN

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

C. CAUSERET

GALLICÆ UNIVERSITATI AGGREGATUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, BIBLIOPOLAS

6, VIA DICTA DES SAINTS-PÈRES, 6

1886

DE

PHÆDRI SERMONE

GRAMMATICÆ OBSERVATIONES

THESIN

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

C. CAUSERET

GALLICÆ UNIVERSITATI AGGREGATUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, BIBLIOPOLAS

6, VIA DICTA DES SAINTS-PÈRES, 6

1886

NIORT. — IMPRIMERIE TH. MERCIER

MEIS

PROŒMIUM

In suo de *minoribus latinis poetis* libro (1) egregius ille scriptor, D. Nisard, non sine lepidissima quadam urbanitate dixit firmisque argumentis probavit non ideo Phædrum apologorum materiam tractavisse, quia invicto naturæ motu ad illud litterarum genus fuerit impulsus, sed intellexerit, præoccupatis artibus ceteris, id unum etiam tunc « *romanis ingeniis intentatum opus* » (2) superesse, quo locum aliquem inter latinos scriptores posset obtinere. Quod ut assequeretur, omni ope Phædrum enisum esse crediderim : nempe nulla est in ejus opere fabula, fere nullus est versus qui non laborem infinitum incredibilemque in eloquendo curam manifesto declaret.

Primum brevitatem tanto studio, ut ipse præ-

(1) Vide pag. 40, sq.
(2) Seneca Cons. ad Polyb. 27 : non audeo te usque eo producere, ut fabellas et æsopeos logos, *intentatum romanis ingeniis opus*, solita tibi venustate connectas.

dicat (1), appetit tantaque felicitate adipiscitur, ut quid redundet in eo non facile invenias : non eos enim Phædrus (2) imitatur qui, quo plenior sit oratio et abundantior, rem eamdem aliter atque aliter eloquuntur, neque cogitata prius relinquunt quam multis modis expresserint. Imo vero id eloquendi genus potius assumit, ut quod senserit semel enuntiet et longius semper in dicendo progrediatur. Quæ brevis et exilis oratio adeo eum videtur delectavisse, ut vix aliquot locos, ubi ad redundantius quoddam dicendi genus descierit, in quinque illius libris reperias. Sic, exempli causa, postquam « *terrore offuso* » dixit, addit protinus « *perturbatis sensibus* » (3). His verbis « *occupata in otio* » alias, quibus fere idem significatur, locutiones subjicit « *gratis anhelans, multa agendo nihil agens* » (4). Idem ad hanc sententiam : « *si cito rem perages, usus fiet longior* » alteram verbis, non re, dissimilem adjungit sententiam : « *fruar diutius,*

---

(1) « Bonas in partes, lector, accipias velim,
Ita, si rependet illam *brevitas* gratiam. »
2. Prol. 11-12.
« *Brevitati* nostræ præmium ut reddas peto »
3. Epil. 8.
« Si non ingenium, certe *brevitatem* adproba »
4. Epil. 8.

(2) Præmonendus est lector, si se ad eos qui in hoc opere indicabuntur locos referre velit, me Phædri fabulis a L. Muellero recognitis obsecutum esse : « *Phædri Augusti Liberti Fabulæ Æsopiæ. Recognovit et præfatus est L. Mueller. Lipsiæ in ædibus B. G. Teubneri, 1883* ».

(3) « Terrore offuso (aquilæ) et perturbatis sensibus »
2. 4, 11.

(4) « Est ardelionum quædam Romæ natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens ».
2. 5, 1—3.

si celerius cepero » (1). Ita vero rara est in Phædri fabulis plenior illa dicendi figura, ut insolita prorsus et ab universo orationis colore alienissima videatur.

Quemadmodum ne rem eamdem frustra repetat Phædrus diligenter cavet, ita quam paucissimis verbis res singulas absolvere enititur : inde fit ut et multa adjectiva participiave efferat, quibus antea enuntiatum substantivum vel pronomen apponendum sit (2) ; et verba sæpius, cum adjungenda sint neutra pronomina, qualia hoc, illud, aliquid, sola proferre non dubitet (3) ; et hoc vocabulum « *esse* » post omnia participii genera eximat (4).

Non minus huic rei diligenter studet ut, vocabulis in oratione perite structis compositisque, acrius et vividius sententia inde emineat : quod quidem fit sive, conjunctionibus e prima verborum continuationis sede exclusis, permagni ponderis verbis egregium illum et conspicuum locum reservat (5) ;

---

(1) 3. Epil. 13-14.

(2) Corripere cœpit *singulas* (supple : ranas) I. 2, 25 ; — *Improbam* leto dedit (supp : mustelam) I. 22, 9 ; *adflictis* ut succurrat (supp : sibi) I. 2, 28 ; — *proculcatas* obteret duro pede (supp : nos) I. 30, 10.

In omnibus illis exemplis non agitur, de quo postea dicemus, adjectivum pro susbtantivo positum.

(3) Faceres (*id*) si causa mea I. 22, 4 ; — contempsit (*id*) illa, tuta quippe ipso loco 28, 7 ; — Bonas in partes, lector, (*illud*) accipias velim 2. Prol, 11, etc., etc.

(4) (Confessus est) non artis ulla medicæ se prudentia, verum stupore vulgi *factum* nobilem. I. 14, 11. Equidem me *contemptum* gaudeo 2. 7, 11. Num clitellas *impositurum* victorem putas? 1. 15, 7. Si quis læserit, *mulctandum* simili jure fabella admonet. I. 26, 1...

(5) *Fraudator* homines *cum* advocat sponsum improbos

sive contraria verba aut conjungit contrahitque (1) aut ita locat ut alia aliis respondeant (2), sive denique, ad rem gravius exprimendam, duas aut plures verborum comprehensiones similiter concludit (3).

Ut suo in loco verba struit, ita non minorem dat operam ut, si res eadem sæpius iteranda sit, variis eam vocabulis enuntiet. Quod « *palus* » prius, id « *vadum* » deinde et « *stagnum* » appellat (4). Quod « *tugurium* » idem continuo « *locus* » et « *cubile* » (5). Quid elegantissimam illam fabulam memorem (Aquila, Feles et Aper), in qua trium bestiarum pullos ita variis nominibus designat, ut eos « *fetum*, *progeniem*, *natos*, *tenerum gregem*, *porcellos*, *prolem*, *catulos* » (6) nominet? Non temere autem et fortuito, quibus eadem res exprimitur,

---

I. 16, 1 ; — *Calumniator* ab ove *cum* peteret canis I. 17, 2 ; — *Parvæ* vindictam rei *dum* quæro demens, servitutem repperi 4, 4. 10-11.

(1) Nunc, inquit, *omnes unus* exurit lacus I 6, 7 ; — *Inops*, *potentem* dum vult imitari, perit I. 24, 1 ; — Cani *perpasto macie* confectus lupus (occurrit) 3. 7, 2 ; — quæso, *tam angustam talis* vir ponis domum ? 3. 9, 6....

(2) *Et quem tenebat* ore dimisit cibum, *nec quem petebat* potuit adeo attingere I. 4, 6-7 ; *Ignotos* fallit, *notis* est derisui I. 11, 2 ; — *Vulgare* amici nomen, sed *rara* est fides 3. 9, 1...

(3) In his enim carminibus, quibus Formica Muscam objurgat, nonne huic rei proficiunt verba similiter desinentia, ut omnia ea, quæ gloriosius de se Musca prædicaverit, non sine vi quadam et acerbitate Formica redarguat ?

« Aras *frequentas* ; nempe abigeris cum venis.
Reges *commemoras* et matronarum oscula ;
Super etiam *jactas*, tegere quod debet pudor ;
Nihil *laboras* : ideo cum opus est, nil habes. »
4, 24, 12, sq.

(4) — I. 2, versus 10, 14, 17.

(5) I. 19, versus 4, 5, 9.

(6) 2. 4, versus 3, 10, 13, 14, 15, 19, 24.

varia collocat vocabula, sed ex industria consilioque disponit. Nempe huic verbo « *clamor* » hæc, quibus procrescit oratio « *convicium*, *querela* » (1) paulo post subjungit. Huic etiam verbo « *rogare* » illas, quarum vis felicissima gradatione magis atque magis augetur, substituit locutiones « *preces admovere*, *exorare*, *flagitare* » (2).

Dignæ quidem sunt quæ memorentur illæ, de quibus diximus, eloquendi virtutes ; sed in hoc præcipue laudandus esse mihi Phædrus videtur, quod ea ætate vivens qua magis magisque in deterius inclinabant litteræ et, quo magis arcessita erat dictio, eo meliores esse scriptores sibi videbantur, ipse se ab omni dicendi pravitate tuitus est ac veterem illam eloquendi sanitatem ubique retinuit. Debet enim in memoriam sibi revocare qui rectum de Phædri oratione vult ferre judicium, quot et quam ambitiosa ab æqualibus Phædro scriptoribus nonnunquam admissa fuerint. Quod ad declarandum nonnullis exemplis opus est. Vult Vellejus Paterculus comparatione aliqua explicare « *quemadmodum eminentissima cujusque professionis ingenia in eamdem formam et in idem arctati temporis congruant spatium* » ? Nihil satius ei videtur quam dicere « *clausa capso aliove sæpto diversi generis animalia nihilo minus separata alienis in unum quæque corpus congregari* » (3) : quæ comparatio pravior sit an obscenior, equidem non dixe-

(1) I. 6, 4-6.
(2) I. 19, 3. 6. 8.
(3) I. 16 (edidit Car. Halm. Lipsiæ 1876).

rim. Vult idem Vellejus aperire cur Athenæ unæ plures oratores quam universa Græcia tulerint ? Non sine molesta quadam insulsitate dicit : « *corpora gentis illius* (Græcorum) *separata in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa* » fuisse (1). Alibi cæsarianæ et pompeianæ aciei conflictionem cum duobus inter se collidentibus capitibus comparat atque, Pompeio occiso, « *alterum romani imperii lumen effossum* » esse existimat (2). Neque in solo Vellejo molestæ istæ atque odiosæ comparationes occurrunt ; in plerisque æqualium eadem reperias. Gravissimas pœnas senatus romanus decreto militibus constituerat qui « Q. Petilium consulem fortissime adversus Ligures pugnantem occidere passi essent ». Quid Valerius Maximus ad Petilii memoriam celebrandam dixerit attende : nempe illud amplissimi ordinis decretum pro « *specioso et æterno monumento* » habendum esse dicit « *sub quo in acie morte, in curia ultione clari cineres ejus adquiescunt* » (3). Imo Ovidius ipse, licet elegantissimus est plerumque atque urbanissimus, nonne in affectatam eam putidamque incidit orationem ut eum, qui *Tristia* inscribitur, librum cum horrido et impexo homine conferat ?

« Parve, nec invideo, sine me, liber ibis in Urbem.
Ei mihi, quod domino non licet ire tuo !
Vade, sed *incultus*, qualem decet exulis esse :
....
Hirsutus sparsis ut videare comis. » Trist. I. 1, sq.

---

(1) I. 18.

(2) 2, 52 collisa inter se duo rei publicæ capita effossumque romani imperii lumen.

(3) Val. Max. 2. 7, 15 (edid. Car. Halm Lipsiæ 1865).

Ut res dissimillimas inter se inepte comparant plerique eorum qui Phædri ætate scripserunt, ita non minus insulse alia aliis verba opponunt. Sic Vellejus, Scipionis Æmiliani mortem lugens, illius « velatum esse *caput* » miratur « cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat *caput* » (1). Non minus ridiculus est Valerius Maximus cum peditum illorum virtutem prædicans qui naves punicas in littus retraxerant, non sine putida quadam affectatione hæc vocabula « *nantes, pedites* » alterum alteri opponit :

> « *Nantes* lubricis pelagi quasi camporum firmitate *pedites* in littus retraxerunt » (2) ;

aut cum Scipionem Africanum dicit « *cineres* ei (patriæ) negavisse quam in *cinerem* collabi passus » non fuisset (3).

Num putas facile esse, cum tanto in honore sint omnes istæ verborum præstigiæ, se ab eis vindicare atque, omissis eis quæ publici sint saporis, simpliciter ac sine ullo apparatu dicere? Quod in Phædro, ut quidem ego sentio, recte ac merito possis laudare. Nempe non ut Vellejus putide dicit « *signare stylo* » (4) aut « *frangere* (5) hostes », sed simpliciter

---

(1) 2. 4, 6.
(2) 3. 2, 10.
(3) 5. 3, 2.
(4) Nequeo temperare mihi, quin rem sæpe agitatam animo meo neque ad liquidum ratione perductam *signem stylo*. I. 16.
Non minus arcessitum est illud, quod apud Valerium Maximum occurrit, eloquendi genus : « *injiciam stylum* qua nostræ urbis qua exterarum gentium priscis institutis » 2. præf.
(5) 2. 24, 4.

« *exponere* » (1) aut « *vincere* » (2). Non, ut Vellejus, ambitiose : « *functus statione mortali* » (3) aut « *in sua resolutus initia* » (4), sed hanc, quæ dicenti maxime obvia est, locutionem assumit : « *Mortuus* » (5). Vult idem Vellejus dicere magnam calamitatem ex improviso imminere? Non sicut Phædrus eloquetur :

> « Quanta nobis instat pernicies ! »
> I. 30, 3.

sed, quod multo exquisitius est :

> « In quam arcto salutis exitiique fuerimus confinio ! »
> 2, 124.

Non minus a Valerio Maximo Phædrus oratione dissentit : nempe, exempli gratia, hic sine ullo apparatu dicit « *videre* simulacrum » (6) aut « ne tantum miseræ *luctum importaret sibi* » (7) aut « *metuere* aliquid » (8) ; ille autem hæc affectata exquirit : « *haurire* imaginem » (9), « *necessitas aditum luctui dedit* » (10), « non dentis sed ferri sævitia *in metu reponebatur* » (11).

Haud ineleganter Phædrus dicit :

---

(1) 3. 10, 2.
(2) 5. 5, 23.
(3) Eique *functo longissima statione mortali* destinate successores 2, 131.
(4) *In sua resolutus initia* animam cœlo reddidit. 2, 123.
(5) 3. 2, 8.
(6) I. 4, 3.
(7) I. 28, 6.
(8) 2. 4, 21 ruinam *metuens*. Cf. I. 28, 1.
(9) *Hausit* proposito et votis suis convenientem imaginem. I. 7 ext. I.
(10) I. 7 ext. 4.
(11) Ibid. ibid.

« *Intrare* si *musarum limen* cogitas. »
3. Prol. 16.

aut

« *In* (musarum) *cœtum recipior.* »
Ibid. 23.

Ambitiosa vero est nimiumque exquisita Vitruvii oratio, cum eos demum posse se merito profiteri architectos prædicat, qui « *gradibus disciplinarum scandendo pervenerint ad summum templum architecturæ* » (1). Quid, quod Propertius ipse non ut Phædrus sine ulla molestia dicit : « *par esse alicui* » (2) aut « alicujus *famam assequi* » (3), sed quæsitis istis arcessitisque verbis utitur :

« Cæsaris et *famæ vestigia juncta tenebis?* » (4)

Quid, quod in hanc odiosam et putidam decidit orationem :

« Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis
Et caput impositis pressit Amor pedibus. »
I. 1, 1, sq.

Quæ multo simplicius et aptius apud Phædrum expressa videas :

« Ætatis mediæ quemdam mulier non rudis
Tenebat annos celans elegantia
Animosque ejusdem pulchra juvenis *ceperat.* »
2. 2, 2-4.

Quæ in Phædri oratione laudanda esse mihi

---

(1) Vitruvii opera. Edid. Valentinus Rose et Herman Müller-Strübing, Lipsiæ 1867. pag. 7.
(2) I. 19, 10.
(3) 3. 9, 3.
(4) Prop. 4. 8, 33 (edid. Lucianus Mueller. Lipsiæ 1874.

videntur ostendi; non vero eas esse omnes illas dicendi virtutes existimo, ut gravissimum, quo ejusdem dictio laborat, vitium possint compensare. Præterea obscuritatem in quam, dum brevitatem vult consequi, interdum Phædrus decidit : quod quidem in hisce versibus deprehendas, ubi tam densa sunt omnia et contracta ut non facile, quid poeta voluerit dicere, expedias :

« Anus jacere vidit epotam amphoram
Adhuc Falerna faece e testa nobili
Odorem quæ jucundum late spargeret (1). »
3. 1, 1-3.

Hoc etiam omitto, Phædrum ita verborum ordinem nonnunquam pervertere, ut contorta fiat oratio neque inde quidquam concinnitatis percipiatur : quod, ut exemplo utar, in his carminibus observes :

« Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum. »
4. 4, 1, sq.

Aliud vero est multo gravius in Phædri oratione vitium, eoque molestius, quod in omnibus operis partibus deprehenditur : nempe siccus est plerumque Phædrus ac jejunus neque is ut legentium animos possit detinere.

Jejunus est quia a narrationis principio usque ad finem celerius properat neque circa res eas quæ ad

---

(1) Exemplo sit quoque hic versus

« Dictorum sensus ut delectet varietas » 2. Prol. 10,

quem aliter atque aliter possis interpretari, sive « *dictorum varietas delectet sensus* » intelligas, sive « *varietas delectet sensus dictorum* » ; imo haud scio an eumdem versum ita possis explanare : « *varietas sensus dictorum delectet* ».

narrationis festivitatem maximi sunt momenti, satis libenter commoratur. Parum est enim dicere :

> « Gelu rigentem quidam colubram sustulit
> Sinuque fovit, contra se ipse misericors :
> Namque ut refecta est.... (1) »

Dicas necesse est, si exilitatem in narrando vitare velis, quis serpenti obvius fuerit, quo loco, quo tempore, tum qua cura, quibus remediis ad vitam eum sensim revocarit.

Ideo quoque frigidæ sunt Phædri fabulæ quod non sæpe eas, quæ in fabulis celebrantur, bestias bestiolasve in scenam locuturas inducit, sed quid dixerint fecerintve plerumque ipse narrare satis habet : quod quidem in ea fabella observes quæ « *Rana rupta et Bos* » (2) inscribitur : quam Fontanii nostri fabellæ ea re potissimum cedere præstantissimus ille scriptor, H. Taine, recte judicavit quià quod Phædrus ipse narravit, in dialogi formam traduxerit Fontanius (3).

Strigosus est denique Phædrus atque exsuccus, cum singula quæque narrationis frigide ac jejune refert, nedum tam veris ac vividis coloribus repræsentet, ut ea quasi videre audientes sibi videantur : nempe in ea cujus mentionem nuper fecimus, fabula (4), non satis est dicere :

> « Ut refecta est (colubra), necuit hominem protinus ».

Oportet, si non solum legentes docere velis, sed

(1) 4. 19, 1, sq.
(2) I. 24.
(3) Vide La Fontaine et ses fables, 1875, p. 239, sq.
(4) Serpens. 4, 19.

etiam quæ narras, ut ita dicam, ante oculos proponere : oportet, inquam, depingas quomodo e longo torpore excitatus serpens caput paulatim erigat, sibilet ; tum se revolvat ; deinde, ira cum vita redeunte, in hominem insilire nitatur (1).

Qualis in narrando describendoque Phædrus, talis est in eloquendo : nempe ut ea mente caret ut res, quas narrat, ipse sibi fingat et quales finxerit ante legentium oculos subjiciat : sic acres illas et vividas voces non reperit, quæ non modo rem legentes docent, sed etiam quasi depingunt. Ita enim omni colore ac lumine orba est Phædri oratio, ut vix unum aut alterum vocabulum, quod sententiam figuret atque illustret, in quinque illius libris reperias. Sic summam aquam « *lympharum speculum* » (2) feliciter appellat ; testudinis corticem « *corneam domum* » (3) nominat ; suis denique dentes epitheto designat, cui mira vis inest et elegantia :

« Aper *fulmineis* ad eum venit dentibus. »
I. 21, 5.

Paucissimæ vero sunt egregiæ illæ verborum translationes, magnisque intervallis apparent.

Non plura sunt illa verba quæ, quia poetæ potissimum adhibent, poetica solemus nominare. Imo hoc affirmare vir litteratus, Ed. du Méril, non du-

---

(1) « L'animal engourdi sent à peine le chaud,
Que l'âme lui revient avecque la colère.
Il lève un peu la tête et puis siffle aussitôt ;
Puis fait un long repli, puis tâche à faire un saut
Contre son bienfaiteur, son sauveur et son père. » La Font. 6, 13.

(2) Lympharum in speculo vidit simulacrum suum. I. 4, 3.

(3) Quæ cum abdidisset cornea corpus domo. 2. 6, 5.

bitavit ne unam quidem poeticam vocem Phædri fabulas perlegenti sibi obvias exstitisse (1). Multo quidem severiorem in Phædro judicando scriptorem gallicum fuisse, hæc satis probant quæ e Phædri fabulis excerpsi : nempe pro hisce vulgaribus usitatisque vocabulis «*aqua*, *cœlum*, *occidere*, *senectus* » hæc, quæ exquisitiora sunt et elegantiora adhibuit : « *liquor* (I. 1, 8; 12, 4); *sidera* (I. 6, 4); *leto dare* (I. 22, 9); *senecta* (4. 2, 10) ». Illius vero modi vocabula ita raro in Phædri oratione invenias, ut eam humilem, abjectam pedestrique sermoni simillimam haud immerito judicaveris.

Ex omnibus eis quæ de Phædri dicendi genere diximus consequitur ut multa quidem in eo laudanda sint, multa vero reprehendenda. Ideo laudibus dignus est, quod et brevi expeditoque sermone utitur et verba cum aptissime struit componitque tum prudentissime variat ac commutat et, omissa ea quæ tempore illo vigebat orationis affectatione, prisci judicii salubritatem puram et sinceram servavit. Obscuram vero aliquoties et contortam eamdem dictionem reperimus; tum eam in Phædro exilitatem jejunitatemque reprehendimus, ut eum et in narrando describendoque et in eloquendo frigidum, siccum, omnis coloris ac vitæ expertem fere ubique invenerimus. Quibus vitiis gravissimis si eas, quas laudavimus, virtutes compensaveris atque ideo præcipue Phædrum dignum

---

(1) Poésies inédites du moyen âge, précédées d'une histoire de la fable ésopique. Paris 1854. pag. 80.

esse laude observaveris quia nonnullis vitiis, quibus inficiuntur æqualium opera, vacet, non id sine dubio judicabis illius dicendi genus ut magna legentium animos detineat voluptate.

Phædri orationi longe præstat qua usus est lingua : quam, si non eorum latinitati ex omni parte consentanea est quos optime latine locutos esse constat, certe ea lingua multo puriorem qua usi sunt æquales Phædro scriptores, judicaverim. Etenim sive, quibus usus est Phædrus, vocabula consideras; sive, quali ratione eadem tum singula tum conjuncta adhibuerit, attendis atque in primis quomodo casibus, temporibus, modis usus fuerit; sive denique omnes illas particulas observas et quibus cum *præcipua subjecta* verborum comprehensio (1) conjungitur et quibus quæ sunt ejusdem ordinis verborum comprehensiones inter se cohærent : fere nulla est in Phædro sermonis pravitas quin apud eos, qui Phædro æquales fuerunt, imo nonnunquam ante ejusdem ætatem vixerunt, reperiatur; contra ea, multis eloquendi vitiis eorum scriptorum opera sæpius inquinantur, quæ ne semel quidem in Phædro possis reprehendere.

Cum autem poetæ orationem in opusculo nostro perspicere debeam, poetarum præcipue Phædro æqualium, Tibulli, Propertii, Ovidii orationem penitus examinandam esse credidi; ideo vero non

(1) His verbis interpretor quod in gallico sermone appellamus : proposition *principale*, prop. *subordonnée*.

omittendos esse prosæ orationis scriptores, Vellejum Paterculum, Valerium Maximum, Vitruvium, Cornelium Celsum, existimavi, quia et multis partibus soluto sermoni poetica oratio simillima sit et, quamvis ea lingua, cui magnam licentiam sciamus permitti, usus fuerit, prosæ orationis scriptoribus purior sæpius Phædrus exstiterit.

Cui de Phædri sermone commentationi parvam de Fabellis Novis disputationem, appendicis more, subjiciam, quæ cum eo quod proposuimus non omnino quidem cohæret, sed ita nonnullis partibus conjungitur, ut operi meo non dubitaverim adjicere: nempe, cum nondum in hoc omnes consenserint Phædro an alii scriptori illæ triginta fabulæ quæ nuper in Perottino codice repertæ sunt, adscribendæ sint, equidem, num eadem sit in antiquis atque in novis fabellis oratio considerabo, neque minus feliciter illo quam aliovis argumento quæ de novis fabulis ambiguntur absoluturus esse mihi videor.

CAPUT I

QUIBUS VOCABULIS PHÆDRUS USUS SIT?

Si vocabulorum seriem, quibus usus est Phædrus, perspicies, quam pauca nova et parum latina judicanda sint, miraberis : imo e novis illis insolitisque vocibus multæ ibi occurrunt, ubi ita dubii videntur codices, ut nulla fides eis adhibenda sit.

Inter substantiva nomina, quæ notatione digna mihi visa sunt, hæc potissimum excepi :

Ardelio. — Apud Phædrum primum (2. 5, 1) deinde apud Martialem (2, 7; 4, 79) invenitur.

Alapa. — Quæ vox apud Phædrum (2. 5, 25; 5. 3, 2) primum apparet; mox apud Juvenalem (8, 192 ridere potest qui Mamercorum *alapas*), et Martialem (5, 61 o quam dignus eras *alapis.*) reperitur.

Auritulus. — Hoc verbum ex adjectivo nomine « auritus » derivatum, apud solum Phædrum inveni (I. 11, 6).

Derisus. — Quam vocem, a Phædro adhibitam (I. 11, 2), quamvis secundum bonæ latinitatis leges informata videatur, non ante Augusti tempora invenias; verum apud prosæ orationis scriptores qui

post Augusti ætatem vixerunt, Senecam (1), Quintilianum (2), Tacitum (3) frequentissima est.

Tria demum adjectiva nomina, quæ insolita possint videri, in Phædri fabulis mihi obvia fuerunt : *alticinctus* (2. 5, 11), *nemoricultrix* (2. 4, 3), *nocivus* (I. 29, 3) : quorum primum sitne, quale in codicibus appareat, servandum dubito an potius, quod quidem metricæ rei legibus minime repugnet, « *alte cinctus* » (4) legendum :

« Ex *alticinctis* unus Atriensibus. »

Secundum nomen adjectivum « *nemoricultrix* » ab aliis admissum, alii nec immerito in hæc duo nomina « *nemoris cultrix* » leviter immutaverunt (5) : unde fit ut unum demum adjectivum nomen « *nocivus* » apud Phædrum insolentius videatur : quæ vox ipsa, e legibus certis incusa, apud posterioris ætatis scriptores apparet (Plin. 20. 2, 6 pecori præcipue *nociva*).

Unum verbum, *trusitare* scilicet, apud Phædrum inveni, quod omnino sit inusitatum :

« Interque cædem ferro mulum *trusitant.* »
2. 7, 8.

Quod vocabulum, e verbo « *trudere* » apte deriva-

---

(1) Ep. 76. Mihi contingat iste *derisus.*
(2) 6, 3 a *derisu* non procul abest risus.
(3) Agr. 39 *Derisui* esse falsum e Germania triumphum.
(4) Cf. *alte cinctus* Hor. Sat. 2. 8, 10.
(5) Cf. Phædri fabulas Æsopias, quales Lemaire edidit (Parisiis 1826). — Volumen prius. pag. 451.

tum, in locum hujusce verbi « *trŭcīdant* », quod quidem contra iambei carminis leges in Pithoeano Remensique codice invenitur, nonnulli subjecerunt

« Interque cædem ferro mulum *trucīdant* » ;

alii autem, inter quos Lucianus Mueller, « *sauciant* » legere non dubitaverunt.

Hoc vero manifestius etiam confirmabo, quam diligenter ab insolitis vocibus Phædrus caveat, si e plurimis illis novis inauditisque vocibus, quæ apud æquales occurrunt, unam demum aut alteram apud Phædrum apparere ostendero.

I. — DE SUBSTANTIVO NOMINE

a) Hoc neminem fallit nomina substantiva in-*tor* et-*trix* desinentia, perrara initio, in diem frequentiora exstitisse. Quid mirum? Nempe huic rei proficiunt istius modi vocabula, ut breviorem expeditioremque reddant orationem atque, ut exemplo utar, per ea non multis verbis « *qui contemnit* », sed breviter simpliciterque « *contemptor* » dicere liceat (1). Multa quidem apud Phædrum occurrunt nomina substantiva in-*tor* exeuntia; sed fere omnia sunt maxime puræ latinitatis, quippe quæ apud Cæsarem Ciceronemve, interdum etiam apud utrumque reperiantur (2).

---

(1) Cf. H. Gœlzer. Etude lexicographique et grammaticale sur la latinité de St-Jérome. Paris 1884. Præf.

(2) Hæc vocabula notavi : *accusator* 3. Prol. 41 ; *adjutor* 5. 5, 14; *auctor* 4. 15, 3 *calumniator* I. 17, 2; *fautor* 5. 7, 29;

Sunt tamen apud Nostrum tria quæ neque apud Ciceronem neque apud Cæsarem videas atque ideo paulo insolentiora judicaverim : *derisor* 3. 14, 4; *raptor* I. 31, 5; *consiliator* 2. 6, 2. — Quorum vocabulorum unum quidem « *consiliator* » primum apud Phædrum apparet, duorum vero reliquorum alterum « *derisor* » apud Horatium (Sat. 2. 6, 54; A. P. 433), alterum « *raptor* » apud Plautum (Men. pr. 65; Trin. 2. 1, 23; Horat. od. 4. 6, 2; Virg. Æn. 2. 356) reperitur. — Hoc præterea vel maxime notatione dignum videtur, eorumdem nominum duo non transitoriam actionem, sed, ut apud optimos scriptores fieri solet, qualitatem subjecto inhærentem designare (1) : nempe in his versibus

» *Derisor* potius quam deridendus senex »
3. 14, 4.
« Consilium *raptor* vertit ad fallaciam. »
1. 31, 5.

« nomine » *derisor* Æsopus designatur, cujus potius erat alios deridere quam ab aliis ipsum derideri; vocabulo autem « *raptor* » intelligitur Miluus, cujus hæc peculiaris est indoles ut rapiat. Tertium demum nomen « *consiliator* » a pura latinitate recedere videtur, quippe quod non diuturnam indolem sed quasi extemporalem actionem

---

fraudator I. 16, 1; *genitor* 3. 17, 10; *gubernator* 4. 17, 8; *lector* 4. 7, 21; *pastor* 3. 2, 13; *prædator* 2. 1, 2; *sator* 3. 17, 10; *scriptor* 5. 1, 17; *spectator* 5. 7, 13; *sponsor* I. 16, 4; *venator* 5. 10, 6; *viator* 2. 1, 5.

(1) Cf. F. Antoine. Observations sur les exercices de traduction du français en latin. Paris. Klincksieck. 1880. p. 12, sq.

significet. Non enim, ut quidem ego sentio, sicut Phædrus ita Cæsar Cicerove dixisset :

« Si vero accessit *consiliator* maleficus »,
2. 6, 2

sed potius, quod magis bonæ latinitati consentiret : « Si quis vero accedit *qui* maligne *consilietur* ».

Itaque sic prudenter ac verecunde in-*tor* desinentia nomina Phædrus admittit ut, uno excepto, nullo usus sit quin jam a prioribus scriptoribus fuerit admissum. Cetera diligentissime evitat atque potius verbis, e quibus ea nomina inclinata sunt, utitur, nedum nova et inaudita vocabula recipiat. Sic non, ut Virgilius, dicet :

« Prænestinæ *fundator* defuit urbis. »
Æn. 7. 678,

sed :

« Parvas sibi *fundasset* ædes. »
3. 9, 2.

Quid memorem *latrator* (*latrator* Anubis Æn. 8, 698. Cf. Ovid. Met. 9, 690), *vastator* (ferarum *vastatorem* Amycum Æn. 9, 772. Cf. Ovid. M. 9, 192), *regnator* (Æn. 4, 249) : quorum nominum loco hæc participia *latrans* 5. 10, 7, *vastans* (cuncta *vastans* 3. 2, 14), *regnans* (leo *regnans* 4, 13), secundum sinceræ latinitatis leges Phædrum videmus admittere ?

Ut apud Ovidium hæc nomina nova reperias, qualia *dissimulator* (*dissimulator* amoris) M. 5, 61 (1) ; *mirator* (rerum *mirator*) M. 4, 641 (2) ; *posi-*

(1) Cf. Hor. Ep. I. 9, 9 *dissimulator* opis propriæ.

(2) Cf. Prop. 3. 4 [13], 9 non ego sum formæ tantum *mirator* honestæ (edid. Luc. Mueller. 1874).

tor (templorum *positor*, templorum sancte *repostor*) Fast. 2, 63. Cf. M. 9, 449; *spretor* (deorum *spretor*) (1) M. 8, 613 : ita apud Phædrum verba e quibus ea nomina deducta sunt invenias : licet *dissimulet* 4. 21, 2; *mirans* cornua I. 12, 5; *ponis* domum 3. 9, 6; nil *spernat* animus 3. 10, 51.

Hac inaudita voce « *solator* » Tibullus (2) uti non dubitat :

« Ipse ego *solator* ..... quærebam » ;
I. 3, 15.

verbo autem « *consolari* », ut idem eloquatur, Phædrus mavult adhibere :

« *Consolandi gratia* dixit dea. »
3. 18, 5. Cf. 4. 17, 2.

Non minore studio nomina nova in-*trix* desinentia evitat, qui non ut Virgilius dicat : *domitrix* (3) equorum G. 3, 44, *venatrix* Æn. I. 319. Cf. Ovid. M. 2, 454, aut, ut Ovidius, *contemptrix* (4) superum M. I, 161, sed : *domuit* feras 3, Pr., 58, *contemnens* suos I. 3, 6; filiam *venantem* 4, 5, 4 (5).

---

(1) Cf. Nem. Cyn. 79 *Spretor* morarum. Appul. met. 3 [pag. 209, Oudend.] *Spretor* matronalium amplexuum.

(2) Cf. Stat. Silv. 5. 5, 40 Ille ego lugentum mitis *solator*.

(3) Cf. Plin. 36. 16, 25 ferrum *domitrix* illa rerum omnium materia.

(4) Cf. Plin. 19. 8, 44 Eruca *contemptrix* frigorum. Id. 37. 4, 15 vis — ferri ignisque *contemptrix*.

(5) Unum tamen nomen in-*trix* desinens, *potrix* scilicet 4. 5, 25, apud Phædrum videas, quod parum latinum existimandum sit : cujus nominis genus masculinum multo magis usitatum est, quippe quod, ut omittam alios, apud Horatium (Ep. I. 19, 3. Od. 2. 20, 20), Propertium (I. 16, 5), Martialem (6, 78) reperiatur.

β) Quod de nominibus novis in-*tor* aut-*trix* exeuntibus diximus, idem de nominibus novis in-*men* desinentibus possimus dicere : quibus ut poetæ Augusti ætate et prosæ orationis scriptores post ejusdem ætatem frequentius insolentiusque, ita ne semel quidem Phædrum usum esse animadvertimus (1). Nempe apud Ovidium nomina nova, qualia « *piamen* » Fast. 2, 19, 32, « *remoramen* » Met. 3, 567, « *solamen* » Met. 12, 80, (2) ; apud Propertium « *cantamen* » 5. 4, 51 reperias : quibus omissis, ea demum, quæ jamdiu trita ac celebrata erant, Phædrus adhibet, « *piaculum* » 3. Epil. 34, « *mora* » 4. 5, 18 ; 5, 8, 6, « *solatium* » 1. 9, 8, « *cantus* » 3. 18, 2. His quoque vocabulis, quæ quidem ab Ovidio primum usurpata esse crediderís « *curvamen* » (3) M. 2, 130 ; 8, 194 ; 9, 449, « *nutrimen* » M. 15, 354, « *oblectamen* (4) » M. 9, 342 ; 11, 412, hæc vere latina nomina Phædrus anteponit : « *flexus* » 2. 5, 17, « *cibus* » 1. 4, 6, « *gaudium* » 4. 20, 18.

II. — DE ADJECTIVO NOMINE

α) In eo, cujus mentionem supra fecimus, libro H. Goelzer adjectiva in-*bilis* finita in diem fre-

---

(1) Cf. de Ovidio novatore vocabulorum in metamorphoseon libris, J. Favre, 1885, pag. 16, sq.

(2) Cf. Virg. Æn. 3,661 ea sola voluptas *solamen*que mali. 10, 858 hoc *solamen* erat. Lucan. 7, 180 mentibus unum hoc *solamen* erat. Val. Flacc. 3, 319 tenui luctum *solamine* fallens. Sen. Med. 539 *solamen* petere.

(3) Cf. Plin. Ep. 9, 7 villa unum sinum molli *curvamine* amplectitur. Gell. 14, 1 alio cœli *curvamine*.

(4) Cf. Stat. Silv. 3. 5, 95. variæ circum *oblectamina* vitæ.

post Augusti ætatem vixerunt, Senecam (1), Quintilianum (2), Tacitum (3) frequentissima est.

Tria demum adjectiva nomina, quæ insolita possint videri, in Phædri fabulis mihi obvia fuerunt : *alticinctus* (2. 5, 11), *nemoricultrix* (2. 4, 3), *nocivus* (I. 29, 3) : quorum primum sitne, quale in codicibus appareat, servandum dubito an potius, quod quidem metricæ rei legibus minime repugnet, « *alte cinctus* » (4) legendum :

« Ex *alticinctis* unus Atriensibus. »

Secundum nomen adjectivum « *nemoricultrix* » ab aliis admissum, alii nec immerito in hæc duo nomina « *nemoris cultrix* » leviter immutaverunt (5) : unde fit ut unum demum adjectivum nomen « *nocivus* » apud Phædrum insolentius videatur : quæ vox ipsa, e legibus certis incusa, apud posterioris ætatis scriptores apparet (Plin. 20. 2, 6 pecori præcipue *nociva*).

Unum verbum, *trusitare* scilicet, apud Phædrum inveni, quod omnino sit inusitatum :

« Interque cædem ferro mulum *trusitant.* »
2. 7, 8.

Quod vocabulum, e verbo « *trudere* » apte deriva-

(1) Ep. 76. Mihi contingat iste *derisus.*
(2) 6, 3 a *derisu* non procul abest risus.
(3) Agr. 39 *Derisui* esse falsum e Germania triumphum.
(4) Cf. *alte cinctus* Hor. Sat. 2. 8, 10.
(5) Cf. Phædri fabulas Æsopias, quales Lemaire edidit (Parisiis 1826). — Volumen prius. pag. 451.

tum, in locum hujusce verbi « *trŭcīdant* », quod quidem contra iambei carminis leges in Pithoeano Remensique codice invenitur, nonnulli subjecerunt

« Interque cædem ferro mulum *trucīdant* » ;

alii autem, inter quos Lucianus Mueller, « *sauciant* » legere non dubitaverunt.

Hoc vero manifestius etiam confirmabo, quam diligenter ab insolitis vocibus Phædrus caveat, si e plurimis illis novis inauditisque vocibus, quæ apud æquales occurrunt, unam demum aut alteram apud Phædrum apparere ostendero.

I. — DE SUBSTANTIVO NOMINE

α) Hoc neminem fallit nomina substantiva in-*tor* et-*trix* desinentia, perrara initio, in diem frequentiora exstitisse. Quid mirum? Nempe huic rei proficiunt istius modi vocabula, ut breviorem expeditioremque reddant orationem atque, ut exemplo utar, per ea non multis verbis « *qui contemnit* », sed breviter simpliciterque « *contemptor* » dicere liceat (1). Multa quidem apud Phædrum occurrunt nomina substantiva in-*tor* exeuntia; sed fere omnia sunt maxime puræ latinitatis, quippe quæ apud Cæsarem Ciceronemve, interdum etiam apud utrumque reperiantur (2).

---

(1) Cf. H. Gœlzer. Etude lexicographique et grammaticale sur la latinité de St-Jérome. Paris 1884. Præf.

(2) Hæc vocabula notavi : *accusator* 3. Prol. 41 ; *adjutor* 5. 5, 14 ; *auctor* 4. 15, 3 *calumniator* I. 17, 2 ; *fautor* 5. 7, 29 ;

Sunt tamen apud Nostrum tria quæ neque apud Ciceronem neque apud Cæsarem videas atque ideo paulo insolentiora judicaverim : *derisor* 3. 14, 4; *raptor* I. 31, 5; *consiliator* 2. 6, 2. — Quorum vocabulorum unum quidem « *consiliator* » primum apud Phædrum apparet, duorum vero reliquorum alterum « *derisor* » apud Horatium (Sat. 2. 6, 54; A. P. 433), alterum « *raptor* » apud Plautum (Men. pr. 65; Trin. 2. 1, 23; Horat. od. 4. 6, 2; Virg. Æn. 2. 356) reperitur. — Hoc præterea vel maxime notatione dignum videtur, eorumdem nominum duo non transitoriam actionem, sed, ut apud optimos scriptores fieri solet, qualitatem subjecto inhærentem designare (1) : nempe in his versibus

» *Derisor* potius quam deridendus senex »
3. 14, 4.
« Consilium *raptor* vertit ad fallaciam. »
1. 31, 5.

« nomine » *derisor* Æsopus designatur, cujus potius erat alios deridere quam ab aliis ipsum derideri; vocabulo autem « *raptor* » intelligitur Miluus, cujus hæc peculiaris est indoles ut rapiat. Tertium demum nomen « *consiliator* » a pura latinitate recedere videtur, quippe quod non diuturnam indolem sed quasi extemporalem actionem

---

fraudator I. 16, 1; *genitor* 3. 17, 10; *gubernator* 4. 17, 8; *lector* 4. 7, 21; *pastor* 3. 2, 13; *prædator* 2. 1, 2; *sator* 3. 17, 10; *scriptor* 5. 1, 17; *spectator* 5. 7, 13; *sponsor* I. 16, 4; *venator* 5. 10, 6; *viator* 2. 1, 5.

(1) Cf. F. Antoine. Observations sur les exercices de traduction du français en latin. Paris. Klincksieck. 1880. p. 12, sq.

significet. Non enim, ut quidem ego sentio, sicut Phædrus ita Cæsar Cicerove dixisset :

« Si vero accessit *consiliator* maleficus »,
2. 6, 2

sed potius, quod magis bonæ latinitati consentiret : « Si quis vero accedit *qui* maligne *consilietur* ».

Itaque sic prudenter ac verecunde in-*tor* desinentia nomina Phædrus admittit ut, uno excepto, nullo usus sit quin jam a prioribus scriptoribus fuerit admissum. Cetera diligentissime evitat atque potius verbis, e quibus ea nomina inclinata sunt, utitur, nedum nova et inaudita vocabula recipiat. Sic non, ut Virgilius, dicet :

« Prænestinæ *fundator* defuit urbis. »
Æn. 7. 678,

sed :

« Parvas sibi *fundasset* ædes. »
3. 9, 2.

Quid memorem *latrator (latrator* Anubis Æn. 8, 698. Cf. Ovid. Met. 9, 690), *vastator* (ferarum *vastatorem* Amycum Æn. 9, 772. Cf. Ovid. M. 9, 192), *regnator* (Æn. 4, 249) : quorum nominum loco hæc participia *latrans* 5. 10, 7, *vastans* (cuncta *vastans* 3. 2, 14), *regnans* (leo *regnans* 4, 13), secundum sinceræ latinitatis leges Phædrum videmus admittere ?

Ut apud Ovidium hæc nomina nova reperias, qualia *dissimulator* (*dissimulator* amoris) M. 5, 61 (1) ; *mirator* (rerum *mirator*) M. 4, 641 (2) ; *posi-*

(1) Cf. Hor. Ep. I. 9, 9 *dissimulator* opis propriæ.
(2) Cf. Prop. 3. 4 [13], 9 non ego sum formæ tantum *mirator* honestæ (edid. Luc. Mueller. 1874).

tor (templorum *positor*, templorum sancte *repostor*) Fast. 2, 63. Cf. M. 9, 449; *spretor* (deorum *spretor*) (1) M. 8, 613 : ita apud Phædrum verba e quibus ea nomina deducta sunt invenias : licet *dissimulet* 4. 21, 2 ; *mirans* cornua I. 12, 5 ; *ponis* domum 3. 9, 6; nil *spernat* animus 3. 10, 51.

Hac inaudita voce « *solator* » Tibullus (2) uti non dubitat :

> « Ipse ego *solator* ..... quærebam » ;
> I. 3, 15.

verbo autem « *consolari* », ut idem eloquatur, Phædrus mavult adhibere :

> « *Consolandi gratia* dixit dea. »
> 3. 18, 5. Cf. 4. 17, 2.

Non minore studio nomina nova in-*trix* desinentia evitat, qui non ut Virgilius dicat : *domitrix* (3) equorum G. 3, 44, *venatrix* Æn. I. 319. Cf. Ovid. M. 2, 454, aut, ut Ovidius, *contemptrix* (4) superum M. I, 161, sed : *domuit* feras 3, Pr., 58, *contemnens* suos I. 3, 6; filiam *venantem* 4, 5, 4 (5).

---

(1) Cf. Nem. Cyn. 79 *Spretor* morarum. Appul. met. 3 [pag. 209, Oudend.] *Spretor* matronalium amplexuum.

(2) Cf. Stat. Silv. 5. 5, 40 Ille ego lugentum mitis *solator*.

(3) Cf. Plin. 36. 16, 25 ferrum *domitrix* illa rerum omnium materia.

(4) Cf. Plin. 19. 8, 44 Eruca *contemptrix* frigorum. Id. 37. 4, 15 vis — ferri ignisque *contemptrix*.

(5) Unum tamen nomen in-*trix* desinens, *potrix* scilicet 4. 5, 25, apud Phædrum videas, quod parum latinum existimandum sit : cujus nominis genus masculinum multo magis usitatum est, quippe quod, ut omittam alios, apud Horatium (Ep. I. 19, 3. Od. 2. 20, 20), Propertium (I. 16, 5), Martialem (6, 78) reperiatur.

β) Quod de nominibus novis in-*tor* aut-*trix* exeuntibus diximus, idem de nominibus novis in-*men* desinentibus possimus dicere : quibus ut poetæ Augusti ætate et prosæ orationis scriptores post ejusdem ætatem frequentius insolentiusque, ita ne semel quidem Phædrum usum esse animadvertimus (1). Nempe apud Ovidium nomina nova, qualia « *piamen* » Fast. 2, 19, 32, « *remoramen* » Met. 3, 567, « *solamen* » Met. 12, 80, (2); apud Propertium « *cantamen* » 5. 4, 51 reperias : quibus omissis, ea demum, quæ jamdiu trita ac celebrata erant, Phædrus adhibet, « *piaculum* » 3. Epil. 34, « *mora* » 4. 5, 18 ; 5, 8, 6, « *solatium* » 1. 9, 8, « *cantus* » 3. 18, 2. His quoque vocabulis, quæ quidem ab Ovidio primum usurpata esse credideris « *curvamen* » (3) M. 2, 130; 8, 194; 9, 449, « *nutrimen* » M. 15, 354, « *oblectamen* (4) » M. 9, 342; 11, 412, hæc vere latina nomina Phædrus anteponit : « *flexus* » 2. 5, 17, « *cibus* » 1. 4, 6, « *gaudium* » 4. 20, 18.

II. — DE ADJECTIVO NOMINE

α) In eo, cujus mentionem supra fecimus, libro H. Goelzer adjectiva in-*bilis* finita in diem fre-

---

(1) Cf. de Ovidio novatore vocabulorum in metamorphoseon libris, J. Favre, 1885, pag. 16, sq.

(2) Cf. Virg. Æn. 3,661 ea sola voluptas *solamen*que mali. 10, 858 hoc *solamen* erat. Lucan. 7, 180 mentibus unum hoc *solamen* erat. Val. Flacc. 3, 319 tenui luctum *solamine* fallens. Sen. Med. 539 *solamen* petere.

(3) Cf. Plin. Ep. 9, 7 villa unum sinum molli *curvamine* amplectitur. Gell. 14, 1 alio cœli *curvamine*.

(4) Cf. Stat. Silv. 3. 5, 95. variæ circum *oblectamina* vitæ.

quentiora exstitisse animadvertit, illudque inde merito putat consequi, quia, quod apud optimos scriptores verborum circuitionem desideraret, idem sola illa nomina adjectiva facillime exprimant. Nempe brevior sit oratio si dicas « *impossibilis, penetrabilis* » quam si his verbis idem enunties « *quod fieri non potest, quod penetrare potest* ». Ea autem demum nomina adjectiva in-*bilis* exeuntia, quæ jamdiu in usu erant, apud Phædrum invenias (1); quæ nondum plane usitata erant frustra apud eumdem requiras. Minus cauti videntur fuisse qui Phædri ætate scripserunt. Etenim non dubitant dicere Vellejus Paterculus et Valerius Maximus, ille « novitate inventi a se operis *commendabilem* 2, 9, 6 », hic « cantu *commendabiles* aviculas 9. 1, 2 »; Phædrus autem eo verbo utitur, unde nomen adjectivum « *commendabilis* » deductum est :

« Quæ (brevitas) *commendari* tanto debet justius »
4. Epil. 8.

Non ut apud eumdem Vellejum ita apud Phædrum occurrit :

« Metelli triumphum — invidia fecit *favorabilem* (2) » 2, 34, 2
« Sui æstimatio *inimitabilis* (3) fuisse » 2, 97, 3,

sed, quod bonorum scriptorum usui optime consentaneum est :

---

(1) *Fle-bilis* I. 18, 3; *lauda-bilis* 2. 1, 11; *admira-bilis* 3. 18, 3.

(2) Hæc vox primum a Vellejo usurpatur. Cf. Tac. Ann. 2, 37 *favorabili* in speciem oratione. Dial de Or. 7 in civitate minime *favorabili* natus. Plin. ep. 5, 14. Quint. 11, 10....

(3) Cf. Quint. 10, 2 quædam sunt *inimitabilia*, quibus infirmitas naturæ non sufficit.

« Labori *faverit* Latium meo » 2. Ep. 8. Cf. 5. Pr. 8.
« Hunc — *imitari* dum *non possit* » 4. Pr. 16.

Quid nomen illud adjectivum « *dubitabilis* » memorem, cui, licet eo frequenter Ovidius usus est (*dubitabile* verum M. I. 223; *dubitabilis* virtus, ibid. 13, 21), hoc magis usitatum nomen adjectivum « *dubius* » Phædrus anteponit (5. 2, 15)?

β) In hoc consentiunt qui post Augusti tempora scripserunt, ut e participiis, quæ non omnino vim participialem deposuerint, comparativum gradum vitiose deducant: nempe, ne omnia illa, quæ Dræger indicat (1), exempla persequar, ex Ovidio excerpere satis habeo : *cognitior* Met. 14, 15; Trist. 4. 6, 28; *exactior* Fast. 3. 383; *junctior* M. 9, 549; *metuentior* M. 1. 323; e Tibullo : *depressior* 4. 1, 44; e Vellejo : *moderatior* 2. 126, 3; *flagrantior* 2. 48, 3; e Valerio Maximo : *abscisior* 6. 5 ext. 4; *convenientius* 3. 3, 1; *effeminatior* 9. 1 ext. 7; e Vitruvio : *fundatior* 7. 3 (pag. 167) (2); *recessior* 5. 8 (p. 120); denique e Cornelio Celso : *compressior* 2. 11; *coloratior* 2. 2; *fusior*, *dilutior* 1. 3. — Quas in dicendi pravitates ne Phædrus incidat diligentissime cavet, qui, exempli gratia, non « *accensior* », sed, ut optimus quisque scriptor, « *magis accensus* » dicat :

« *Accensa magis* est noctua... »
3. 16, 8.

γ) Et, quoniam de comparativo gradu vitiose

---

(1) Historische Syntax der lateinischen Sprache. I. p. 35, sq.
(2) Vitruvii de architectura libros decem ediderunt Valentinus Rose et Herman Müller-Strübing. Lipsiæ, 1867.

informato nunc loquimur, haud supervacaneum erit aliud quoque vitium memorare quod sæpius apud eos qui Phædro æquales fuerunt sed ne semel quidem apud Phædrum animadvertas : nempe comparativo gradui hæc adverbia « magis, maxime » apponuntur, quod quidem et in Valerio Maximo « *magis locupletior* » 3. 7, 1, nec minus in Vitruvio possis reprehendere : « *magis* ex *meliore* vino parabitur » 7. 10 (pag. 180); « *maxime facilius* » I. 1 (pag. 3), « *maxime tutiores* » I. 5 (pag. 22), « *maxime utiliores* » 2. 3 (pag. 38.)

III. — DE VERBO

Cum illius modi locutionibus aliud superfluens dicendi genus contulerimus in hoc situm, ut compositis verbis admodum redundans præpositio adjungatur (1). Quæ verba, e duabus præpositionibus conflata, poetæ omnesque posterioris ætatis scriptores videntur adamavisse, cum apud eos hujusce modi vocabula inveniantur : *super-eminere* (Virg.) Æn. 6, 857; 10, 765. Ovid. M. 3, 182; Trist. I. 2, 49; *super-imponere* Ovid. M. 9, 100. Cels. 5. 27, 6; *super-incumbere* Ovid. Her. 11, 57, 117; *super-injicere* Ovid. M. 8,640; Fast, 5, 533. Cels. 5. 26, 33. In hoc autem puræ latinitati Phædri sermo similior est, quod nullam supervacaneam verbis compositis apponit præpositionem atque, omni redundantia omissa, simpliciter dicit : *eminere* 2.

---

(1) Cf. Paucker. Verborum bipræpositionatorum breviarium (Subind. Lex. lat. pag. 491.)

7, 4; *imponere* I. 15, 8; 4. 10, 1; *incumbere* 3. Prol. 22; *injicere* I. 27, 5.

IV. — DE ADVERBIO

a) Ex omnibus iis in-*ter* desinentibus adverbiis, quæ in Phædri fabulis occurrunt, nullum est quin admodum latinum esse videatur (1). Illa vero, quæ non apud optimos scriptores usitata sunt, ex oratione prudentissime recidit : nempe non ut Vitruvius (2) hoc adverbium adhibet « *faciliter* » I. 1. pag. 7; 4. pag. 16; 2. 1. pag. 34, quod quidem a Quintiliano reprehensum videmus (I. 6, 17) aut, ut Valerius Maximus (3. 7 ext. 6) Corneliusque Celsus (5. 26, 21) « *valenter* » (3), sed his, quæ bonæ sunt latinitatis, adverbiis utitur : « *facile* » I. 19, 5; 2. 4, 10, « *valide* » I. 19, 8; 24, 9; 3. 11, 4...

Non magis hæc nova et inaudita adverbia usurpat, quæ apud æquales occurrunt : « *crebriter* » Vitr. 2. 8, pag. 46; 7, 1, pag. 163; 8. 2, pag. 188; « *potenter* » Val. Max. I. 1 ext. 1; « *properanter* » Ovid. Fast. 4, 673; « *qualiter* » Ovid. Amor. 1. 5,

---

(1) Haec notavi : *acriter* 4. 24, 1, *æqualiter* 4. 5, 9, *celeriter* 1. 13, 10, *clementer* 4, 20, 8, *diligenter* 4. 2, 3, *feliciter* 5, 1. 4, *fortiter* 3. 10, 37, *graviter* 4. 5, 31, *libenter* 1. 18, 1, *negligenter* 4. 2, 13, *pariter* 5. 2, 10, *pueriliter* 3. 8, 5, *similiter* 3. 5, 6, *simpliciter* 3. 7, 7, *subtiliter* 3. 10, 49, *turpiter* 1. 25, 2.

(2) Vitruvii de architectura libri decem. — Ediderunt Valentinus Rose et Herman Müller-Strübing. Lipsiæ. Teubner. 1867.

(3) Hoc adverbium in comparativo gradu Ovidius protulit : spirare *valentius* Eurus, M. 11, 481.

11 ; 7, 57. Cf. Tibull. 4. 1, 84. ; sed eis potissimum, quæ jamdiu in usu erant, utitur adverbiis : « *sæpe* » I. 12, 2, « *valide* », de quo jam supra diximus, aut « *fortiter* » 3. 10, 37, « *celeriter* » I. 13, 10, « *ut* » 4. 2, 19.

β) Haud minus verecunde Phædrus in-*e* desinentibus adverbiis utitur, cum ea demum (1), quæ vere latina sunt, adhibeat, quæ vero insolentiora prorsus e sermone suo rejiciat : sic adverbio « *difficile* » quod apud Vellejum occurrit (*difficile* sibi consentiens 2, 63) (2) hanc alteram vocem « *difficulter* », quæ quidem apud Cæsarem (3), Sallustium (4), Livium (5) invenitur, Phædrus anteponit (3, Epil. 29). Adverbium quoque « *parve* », quod contra sinceræ latinitatis leges Vitruvius adhibuit (9, 6, pag. 229), Phædrus omittit atque alia duo, quæ sunt plane latina, adverbia « *paulum* » 5. 5, 12 ; 7, 4, « *parum* » 2. 8, 22 in orationem suam recipit. Quid de adverbio parum latino « *secure* »

---

(1) Horum adverbiorum pleraque, ut quidem fieri solet, e secundæ declinationis nominibus adjectivis derivata sunt, qualia ; *certe* 1. 21, 12 ; *cupide* 3. 16, 17 ; *indigne* 1. 21, 10 ; *intempestive* 3. 19, 12 ; *large* 2. 6, 15 ; *late* 3. 1, 3 ; *libere* 4, 20, 14 ; *parce* 4. 17, 9 ; *plane* 3. 7, 26 ; *prave* 3. 10, 6 ; *pulchre* 3. 20, 35 ; *recte* 4. 13, 1 ; *ridicule* 3. 4, 5 ; *sane* 2, 6, 8 ; *studiose* 4. 24, 16 ; *stulte* 3. Pr. 47 ; *tacite* 1. 2, 17 ; *trepide* 2. 5, 2 ; *vere* 1. 14, 17.

Sunt tamen nonnulla quæ e tertiæ declinationis nominibus adjectivis deflexa sint : *impune* 1. 8, 3 ; *repente* 2. 2, 9.

(2) Cf. Plin. 27. 12, 94 semen inter folia durum et quod *difficile* evelatur.

(3) B. C. 1, 62 *difficulter* atque ægre facere.

(4) Cat. 14 dolis haud *difficulter* capiebantur.

(5) 1. 52 haud *difficulter* persuasum Latinis.

dicam, quo Vellejus (2, 129) usus est et Valerius Maximus (4. 7 ext. 1) (1) cujusque loco adjectivum nomen « *securus* » adverbii instar maluit Phædrus adhibere ?

« Qui modo *securus* [= secure] nostra irridebas mala. »
I. 9, 9.

« Abeunt *securi* domum. »
3. 2, 7.

V. — NOMINA GRÆCA IN LATINUM SERMONEM TRADUCTA.

Ut æqualium ita Phædri orationem permultis e græco in latinum sermonem inflexis vocibus distinctam conspersamque animadvertas ; hoc vero vel maxime notatione dignum est, eorum vocabulorum pleraque ante Phædri ætatem usitata fuisse (2),

(1) Cf. Suet. Ner. 40 adeo lente et *secure* tulit ut. Plin. ep. 1, 4 me *secure* ac prope negligenter exspectant.

(2) Exemplo sint : *apotheca* 4. 5, 25. Cf. Cic. Fam. 8, 6. Phil. 2, 27 *apothecæ* totæ nequissimis hominibus condonabantur. Hor. Sat. 2. 5, 6.

Aulæum 5. 7, 23. Cf. Cic. Cæl. 27 Scabilla concrepant, *aulæum* tollitur. Virg. Æn. 1. 701 *aulæis* jam se regina superbis aurea composuit sponda. Hor. Sat. 2. 8, 54 *aulæa* suspensa....

Basis. 2. ep., 2. Cf. Cic. Verr. 2. 2, 63 videmus in *basi* statuarum. Tusc. 5, 23 *basis* columellæ. Ovid. Pont. 3. 2, 52, etc....

Cadus 4. 5, 25. Cf. Virg. Æn. 1. 195 vina bonus quæ deinde *cadis* onerarat Acestes. Hor. Od. 3. 15, 16 *cadus* potus fæce tenus. Id. ib. 1, 35, 26 diffugiunt *cadis* cum fæce siccatis amici, etc. etc.

Camara 4. 25, 29. Cf. Sall. Cat. 58 *camera* lapideis fornicibus vincta. Cic. Q. F. 3. 1, 1 *cameras* quasdam non probavi. Varr. R. R. 3, 7 ut testudo magna *camera* tectus, etc...

perpauca Phædri demum tempore primum apparuisse : cujus generis sunt et *antidotum* (1, 14, 3) quod apud Celsum (5, 23) Gelliumque (17, 16) invenimus et quatuor hæc nomina quæ apud Martialem reperimus : *pera* 4. 10, 1 [cf. Mart. 4, 53]; —*sophus*

Cathedra 3. 8, 4. Cf. Hor. Sat. 1. 10, 91 Discipularum inter jubeo plorare *cathedras.*

Cinædus 5. 1, 15. Cf. Plaut. Asin. 3. 3, 37 *cinædus* calamistratus. Catul. 57 pulchre convenit improbis *cinædis.* Id. 23 *cinæde Thalle....*

Cithara 3. 16, 12. Cf. Auct. ad Her. 4, 47 *citharam* tenens. Virg. Æn. 6, 120 Orpheus threicia fretus *cithara.* Hor. Od. 1. 15, 15 imbelli *cithara* dividere carmina....

Cothurnus. 4. 7, 15. Cf. Cic. Phil. 3, 6 cum palla et *cothurnis* nummos populo spargere. Hor. A. P. 280 et docuit magnumque loqui nitique *cothurno.*

Cuniculus. 4. 20, 2. Cf. Cic. Off. 3, 23 si pater fana expilet, *cuniculos* agat ad ærarium. Cæs. B. G. 7, 22 *cuniculis* aggerem subtrahere. Liv. 5, 21 mœnia *cuniculis* subruere.

Dolon 3. 6, 3. Cf. Virg. Æn. 7, 664 pila manu sævosque gerunt in bella *dolones.* [Ad muscæ aculeum hoc verbum transtulit Phædrus : vide ne *dolone* collum compungam tibi].

Draco 4. 20, 3. Cf. Cic. Phil. 13, 5; de div. 2. 66; N. D. 2, 42 etc. etc.

Gyrus 3. Epil. 25. Cf. Cic. Or. 3, 19 ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane *gyrum* compellitis. Virg. Æn. 5, 84 anguis — septem ingens *gyros* septena volumina traxit. Hor. Sat. 2. 6, 25 bruma — Interiore diem *gyro* trahit.

Melos. 3. 18, 11. Cf. Accius apud Cic. N. D. 2, 35 Silvam *melo* consimilem ad aures cantum et auditum refert. Hor. Od. 3. 4, 1 dic, age, tibia — longum Calliope *melos.*

Mœcha 4. 5, 21. Cf. Hor. Sat. 1. 4, 113 ne sequerer *mœchas,* concessa cum venere uti possem.

Nenia 3. Prol. 10. Cf. Cic. Leg. 2, 24 honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur cui nomen *nenia* : quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant : Hor. od. 2. 20, 21 absint inani funere *neniæ.* — *Nenia* interdum dicitur quodlibet car-

3. 14, 9 [cf. Mart. 7, 32 te secreta quies te *sophus* omnis amat]; — *strophæ* I. 14, 4 [cf. Mart. 11, 7 jam *stropha* talis abit. Plin. ep. I, 18 ego aliquam *stropham* inveniam]; — *tribas* 4. 15, 1 [cf. Mart. I. 91; 7, 67].

---

men vulgare, nugatorium, ineptum: quod et in hoc Phædri versu animadvertas

« Legesne potius viles *nenias*? » 3. Prol. 10

et in hoc Horatii versu :

» Roscia, dic, sodes, melior lex an puerorum *nenia* ». Ep. 1. 1, 62.

Obsonia. 3. 4, 2. Cf. Nep. Them. 10 Myuntem urbem, quæ ei *obsonium* præberet. Hor. Sat. 1. 2, 9 *obsonia* cœmere.

Pegma 5. 7, 7. Cf. Cic. Att. 4, 8 nihil illustrius quam illa tua *pegmata*.

Pelagius. 4. 22, 7 Cf. Varr. R. R. 3, 3 *pelagios* greges piscium revocarit.

Scena 5. 5, 13. Cf. Cic. N. D. 3, 27 nec vero *scena* solum referta est his sceleribus. Or. 3, 57. Virg. Æn. 1, 168 tum sylvis *scena* coruscis. Hor. sat. 2. 1, 71 a vulgo et *scena* in secreta remorant.

Scyphus 1. 14, 7. Cf. Cic. Fam. 7, 21 Illuseras heri inter *scyphos*. Hor. Epod. 9, 33 capaciores affer huc, puer, *scyphos*. Virg. Æn. 8, 278 sacer implevit dextram *scyphus*.

Smaragdus 3. 18, 7. Cf. Lucr. 4, 1119 grandes viridi cum luce *smaragdi* auro includuntur. Ovid. met. 2, 24 in solio Phœbus claris lucente *smaragdis*.

Toxicum 1. 14, 8. Cf. Hor. epod. 17, 61 *toxicum* velox....

Triclinium 4. 25, 28. Cf. Cic. Verr. 2. 2, 74 non quæro unde habueris quinquaginta *tricliniorum* lectos. Varr. R. R. 3, 13 erat locus certus, ubi *triclinio* posito cœnabamus.

Xystus 2. 5, 18. Cf. Att. 1, 8. Hermas et signa et cetera — et maxime quæ tibi gymnasii *xysti*que videbuntur esse. Id. Acad. 4, 3 cum pauca in *xysto* locuti essemus.

Zona 4. 22, 11. Cf. Hor. Ep. 2. 2, 40. Ibit eo, quo vis, qui *zonam* perdidit. Virg. G. 1. 233 quinque tenent cœlum *zonæ*.

VI. — DE GENERE ET NUMERO. DE DECLINATIONE ET CONJUGATIONE VERBORUM

Quod ad genus numerumque et verborum declinationem ac conjugationem spectat, perpauca apud Phædrum reprehendenda mihi videntur : imo fere omnia ea apud æquales, interdum etiam apud priores occurrunt.

α) De genere, hæc præcipue notanda judico : pro « *fera* » masculinum genus « *ferus* » Noster adhibet (I. 12, 9 ; 21, 8 ; 2. 1, 6). Quis vero nescit eodem genere multo ante Phædrum sæpius usum esse Virgilium (*Æn.* 2, 51 ; 7, 489) ? — Non, ut apud optimum quemque scriptorem, « *deliciæ* », sed « *delicius* » aut « *delicium* » apud Phædrum invenitur

« *Delicio* suo quidnam fecissent. »
4. 1, 8.

Quam vocem apud Martialem 7, 50 ; 13, 98 reperias. Insolentius videtur pro « *luscinia* » masculinum genus « *luscinius* » 3. 18, 2.

β) In hoc quidem parum latinus videtur esse Phædrus, quod hæc verba in numero singulari adhibet : « *cervix* » 2. 7, 4 (celsa *cervice* eminet) ; « *fauce* » 1. 1, 3 ; 8, 4 ; « *fortuna* » cum idem valet atque « *divitiæ* » (totam ut *fortunam* tribus æqualiter distribuat 4. 5, 8) ; « *naris* » (1) 3. 3, 14 (*naris*

(1) Alibi pluralis numerus invenitur : 3. 1, 4 totis avida traxit *naribus*. cf. 4. 18, 7.

emunctæ senex); « *sarcina* » 3. 15, 6 (prolapsam effundit *sarcinam*) (1): sed ex omnibus iis vocabulis nullum est quod non apud priores vel magni nominis scriptores reperias. Nempe « *cervice* » Hortensius primum, si Varroni fidem adhibemus, usus est (2): quæ vox deinde apud Virgilium (G. 3, 52. Æn. 10, 137) multosque Phædro æquales, Ovidium (M. I. 485. 652; 2, 87) Celsum (7, 13) etc... apparet. — « *Fortuna* » jam apud Livium (24. 24, 3) (3) Horatiumque (4) (Ep. 1. 5, 12) occurrit. — Singulari numero « *fauce* » usi sunt Horatius (Epod. 14, 4) et Ovidius (M. 14, 738). — « *Sarcina* » jam apud Plautum (Trin. 2. 4, 194) deinde apud Ovidium (M. 6, 224; Her. 4, 23) invenitur. Quid de hac voce « *emunctæ naris* » dicam, quam apud Horatium eodem sensu usurpatam videmus?

« *Emunctæ naris,* durus componere versus. »
Sat. I. 4, 8.

γ) Ideo demum vitiosa est apud Phædrum verborum declinatio, quod secundæ declinationis genitivus non in-*orum*, sed in-*um* nonnunquam flectitur: « *deum* » 4. 11, 12; 24, 4; « *barbarum* » « *graium* » 4. 7, 11; « *superum* » 5. 6, 5. Easdem vero formas non apud poetas modo, sed apud eos etiam qui prosa oratione sunt locuti, invenias (5).

---

(1) Eamdem vocem in plurali numero alibi invenias : 2. 7, 1 muli gravati *sarcinis* ibant duo.

(2) L. L. 10, 4, 180. cf. Charis pag. 72.

(3) Huic (tragico actori) et genus et *fortuna* honesta erant. 24, 24, 3.

(4) Quo mihi *fortunam,* si non conceditur uti?

(5) E solo Tito Livio hæc exempla excepi : *deum* 24. 8, 10; 25. 6, 6; *socium* 23. 7, 3; 24. 20, 1; *Celtiberum* 24. 49, 7.

δ) Bis a verborum conjugatione, qualis est apud optimos scriptores, Phædrus recessit : nempe, veterum scriptorum exemplum secutus, pro «*reverti*» adhibuit «*revertier*» 4. 18, 14 et pro «*parturiebat*» hanc insolitam formam, quam metri auctoritate firmatam videmus «*parturibat*» usurpavit (1) :

« Mons *parturibat*, gemitus immanes ciens. »
4. 23, 1.

---

(1) Cf. Propertius : 1. 3, 25 Omniaque ingrato *largibar* munera somno. — 4. 12 [13], 35 Hinulei pellis stratos *operibat* amantes. — Ovidius. Met. 6, 21 Vellera *mollibat* nebula æquantia tractu.

CAPUT II

QUOMODO SINGULIS VERBIS PHÆDRUS USUS SIT?

Ut nullo insolito verbo nullaque verborum insolita forma usum esse Phædrum vidimus, quin eadem apud æquales, interdum etiam apud priores occurrerent; multa vero, quæ apud Phædrum deficiant, apud æquales reprehendimus : ita verbis singulis multo minus quam æquales contra bonorum scriptorum consuetudinem usum esse Phædrum jam ilico patefaciemus.

I. — DE SUBSTANTIVO NOMINE

Ab eis, qui perbene latine sunt locuti, Noster dissentit, cum pro concretis abstracta nomina frequentius insolentiusqne adhibet : qui, ut exempla nonnulla efferam, non « *avidi* homines » sed « *aviditas* (1) » dixerit 2. 1, 12., non « *calumniatores* » sed « *calumnia* (2) » 3. Prol. 37, non « *creduli*

(1) Verum *aviditas* dives et pauper pudor.
(2) *Calumniam* fictis elusit jocis.

homines » sed « *credulitas* (1) » 2. 4, 26, non « *improbi* » sed « *improbitas* (2) » I. 5, 11.

Imo figura illa orationis sæpissime utitur quæ in hoc sita est, ut abstractum nomen pro personali nomine aut pronomine efferatur, cui ea, quæ nomine abstracto significetur, qualitas conveniat: nempe, exempli gratia, non « *tu, calamitate adflictus* » dicet, sed « *tua calamitas* » 1. 3, 16; non « *collum longum* » sed « *colli longitudo* » 1. 8, 8; non «*corvus stupidus*» sed «*corvi stupor*» 1. 13, 12; non « *tu modestus* » sed « *tua modestia* » 2. 1, 8.

Illa aliaque ejusdem generis non apud eos quidem occurrunt qui « jus et norma loquendi » existimantur; sed apud æquales Phædro (3), imo etiam

---

(1) Documentum habere stulta *credulitas* potest.

(2) Totam prædam sola *improbitas* abstulit.

(3) E Vellejo Paterculo hæc excerpsi : *clientelæ* pro « clientibus » (agro Piceno, qui totus paternis ejus *clientelis* refertus erat 2, 29); *colloquia* pro « interpretibus » (Antonius — per *colloquia* repulsus a M. Lepido 2. 63); *custodiæ* pro « custodibus » (quanto opere inclusus *custodiis* exercitus nostri 2, 111); *ingenia* pro « ingeniosis viris » (eminentissima cujusque professionis *ingenia* I. 16); *mediocritas mea* pro « me mediocri » (pro captu *mediocritatis meæ* 2. 104 cf. habuit *mediocritas nostra* speciosi ministerii locum 2. 111)....

Ex Ovidio excepi : *vicinia* pro « vicinis » (meritasque luet *vicinia* pœnas Met. 8, 689) ; *militia* pro « militibus » (hic pars *militiæ*, dux erat ille ducum, Heroid. 8, 46); *consilium* pro « consiliatore » (Illa Numæ conjux *consilium*que fuit Fast. 3, 276)......

E Valerio Maximo : 5. 6, 2 magna postea *decora* [=? decori homines] in foro romano fulserunt; I. 1, 9 non dubitaverunt sacris *imperia* [= imperatores] servire; 3. 7, 5 duobus acerrimis *odiis* [= inimicis] latera sua cingere; 8. 6, 2 pileum *servituti* [= servis] ad arma capienda ostentatum erat; 8. 15, 7 perfectissima *virtus* [= virtute præditus homo] — videritne....

apud nonnullos eorum qui ante ejus ætatem vixerunt (1), ea frequentissime reperias.

Adde quod non, ut plerique æqualium, nomina abstracta contra puræ latinitatis leges in plurali numero Phædrus adhibuit : nempe non ut Ovidius « *æva* » dixit

« .... immortalis et *ævis*
Omnibus ». Met. 2, 649.
« .... nulli datus omnibus *ævis* »,
Pont. 1. 3, 83.

sed « *ævum* » 3. Epil. 15; 4. 20, 10. — « *Convictus* » quoque non ut Ovidius Vellejusque in plurali numero

« ....vel longi debes *convictibus* ævi »
Pont. 2. 10, 9.
« *Convictibus* et apparatibus luxuriæ »
Vell. Pat. 2. 33, 4

sed in singulari demum Phædrus protulit :

« Gloriosus sane *convictus* deum »
4. 24, 10.

Quid de hisce vocabulis dicam « *consuetudo, elegantia, solertia, vigor* » quæ apud Vitruvium pluraliter insolentius

I. 1 (p. 8) in tantis rerum varietatibus *elegantias* singulares
7 Præf. (p. 158) egregiis ingeniorum *solertiis* ex ævo collatis
6. 9 (p. 148) quemadmodum Græcorum *consuetudinibus* ædificia distribuantur cf. 6, 10 (p. 151)
6. 1 (p. 138) corporum membris animorumque *vigoribus*

---

(1) Cf. Dræger, hist. Synt. 1878. p. 22; Gossrau Lat. Sprachl. § 361 ; Riemann. Etud. sur la lang. et la gram. de Tite Live, pag. 48. sq.

apud Phædrum autem singulariter adhibentur?

« ..... annos celans *elegantia* » 2. 2, 4
« Vindicta docili quia patet *solertiæ* » I. 28, 2. cf. 4. 5, 49.
« A pristina deflexit *consuetudine* » 4. 13, 6
« Solebat excitari saltantis *vigor* » 5. 7, 15.

II. — DE ADJECTIVO NOMINE

In hoc quoque a sincera latinitate distat Phædri oratio, quod adjectiva nomina pro substantivis nominibus libentius et insolentius ibi efferuntur : nempe non modo ita adhibet quæ plurativi sunt numeri (1) adjectiva nomina, sed etiam, quod multo minus frequens est, quæ sunt numeri singularis (2) ; imo eo usque progreditur, ut adjectivis alia adjectiva (3) apponat atque adjectivis, quæ substantivi partibus funguntur, eamdem vim tribuat ac si vere adjectiva habeantur (4).

Quæ reprehendimus in Phædro, eadem vel in prioribus scriptoribus, ut in Livio, reprehendas (5) : quid mirum, si et in æqualibus ? Nempe, ut scriptores alios omittam, nonne Ovidius in hanc loquendi licentiam delapsus est, ut pro « *canis* et *falsis capil-*

---

(1) I. 8, 1 *improbi ;* 15, 2 *pauperes ;* 17, 1 *mendaces ;* 21, 2 *ignavi ;* 30, 1 *humiles.....*

(2) I. 1, 6 *laniger ;* 5, 1 *potens ;* 24, 1 *inops, potens ;* 3. 5, 6 *dives ;* 10, 36 *insons ;* Epil. 23 *innocens.....*

(3) 2. 2, 5 *pulchra juvenis ;* 5, 11 *alticinctis atriensibus ;* 14 *læta viridia ;* 4. 5, 35 *lanificæ rusticæ.....*

(4) I. 11, 1 *virtutis expers* [= is qui virtutis est expers] ; 3. 3, 1 *usu peritus ;* 4. Pr. 17 *Similes tui....*

(5) Cf. O. Riemann. Etud. sur la lang. et la gram. de T. Live, p. 62, sq.

lis » breviter diceret : « *Cani falsi* » M. 6, 26 (1), pro « *parvo aheno vase* » « *parvum ahenum* » 8. 645 ?

III. — DE PRONOMINE

Quod ad pronomen spectat, unus locus, ut quidem ego sentio, apud Phædrum est, ubi a puro sermone videatur deflexisse : nempe cum de duabus personis ageretur non « *uter* » sed « *quis* » pronomen adhibuit :

I. 24, 7 Simili quæsivit modo *Quis* major esset (bosne an rana).
4. 24, 2 Formica et Musca contendebant acriter
Quæ pluris esset.

Hoc vero memoria dignum est, similiter peccavisse non modo eos qui Phædri ætate vixerint, inter quos Vellejus Paterculus (2), sed etiam qui ætate eum præcedant, inter quos Livius (3) Virgiliusque (4).

Sunt præterea nonnulla quæ apud priores et æquales Phædro scriptores merito reprehendas quorumque ne minimum quidem vestigium apud

---

(1) Cf. *cani honorati* M. 8, 9 ; *cani rari* M. 8, 568.

(2) 2. 63 *quarum* esset partium secum luctatus (vide Dræger hist. synt. I. p. 103.)

(3) I. 56, 10 cupido incessit animos juvenum (Titi et Arruntis) sciscitandi, ad *quem* eorum regnum esset venturum ; 1 . 6, 4 *qui* ; 1 . 27, 6 *qua* ; 7 . 9, 7 nec *qui* potirentur incertis viribus satis discerni poterat ; 9. 45, 8 *quid* mallent ; 10. 12, 5 *qua* (pro utra parte) ; 21, 39. 9 incertos *quæ* pars sequenda esset.

(4) Æn. 12, 719 *quis* (duorum taurorum) nemori imperitet. — 727 *quem* (Turnum an Ænean damnet labor. — Cf. Dræger I. p. 103.

Phœdrum observes : sic, cum de duabus rebus personisve agitur non « *quisque* » ut Livius (1) aut Ovidius (2) dicit, sed, quod puro sermoni convenit (3), « *uterque* » :

I. 10, 7 *Uterque* (lupus et vulpes) causam cum perorassent (suam.
3. 8, 12 Amplexus ille *utrumque* (filium et filiam).
13, 4 Genus *utrumque* (apes et fucos) cum nosset.
5. 5, 27 *Uterque* (scurra et rusticus) prodit.

Non, ut multi prioris ætatis (4) multique æquales scriptores (5), pronomine « *alii* », cum idem atque « οἱ ἄλλοι » significat, Phædrus utitur, sed, sinceræ latinitati obsequens, « *ceteri* » ubique adhibet :

4. 22, 24 *Ceteri* tabulam portant.
25, 29 Ruina oppressit *ceteros*.

IV. — DE VERBO

a) Non ita purus emendatusque Phædrus videtur, cum, ut poetæ solent atque ei qui post Augusti

---

(1) 2. 7, 1 ambo exercitus Veiens Tarquiniensisque, suas *quisque* abirent domos. 2. 44, 9 duas civitates ex una factas : suos *cuique* parti magistratus. 10. 12, 3 diversique (consules) ad suum *quisque* bellum proficiscuntur.

(2) Her. 18 [19], 169 atque ita *quisque* (Hero et Leander) suas iterum redeamus ad urbes. Fast. 2, 715 oscula *quisque* (Tarquinius et Brutus) suæ matri dederunt.

(3) Cf. Madvig lat. Sprach. § 495, nota 2.

(4) Cf. Riemann, pag. 144-145. Dræger, hist. synt. I. p. 104, sq.

(5) Hæc e solo Ovidio excepi exempla : M. I, 580-81 Apidanusque senex lenisque Amphrysos et Æas moxque amnes *alii*... 6, 407. sq. manibus mox cæsa paternis membra ferunt junxisse deos *aliis*que repertis qui locus est juguli medius — defuit. — 9, 13 Dixit et Alcides, *alii* cessere duobus 3, 620 Hoc omnes *alii* : prædæ tam cæca cupido est.

ætatem prosa oratione sunt locuti (1), verba simplicia pro compositis sæpius usurpat. Sic apud eum pro compositis « *eligere*, *relinquere*, *emittere*, *deponere* » verba simplicia animadvertas

Legere: 3. 17, 1-2 Olim quas vellent esse in tutela sua Divi *legerunt* arbores.

Linquere : 4. 9, 12 Hircumque clauso *liquit* hærentem vado.

Mittere : 4. 11, 4 Repente vocem sancta *misit* Religio.

Ponere : 1. 2, 19 Illæ, timore *posito*, certatim adnatant.

Ex omnibus autem iis quæ enumeravi verbis ne unum quidem est quin optimus quisque scriptor, vel Cicero ipse interdum, ita adhibuerit (2).

Insolentius quidem videtur hoc verbum « *ponere* » pro « proponere » [I. 14, 9 ebibere jussit ipsum *po-*

---

(1) Cf. Dræger I. p. 136. sq. Grysar. Theor. des latein. Stils. p. 10, 18, 255.

(2) *Legere* (= eligere) et apud Livium reperitur (23, 22 *legere* cives in patres. Ibid. ut bini in demortuorum locum *legerentur*) et apud Ciceronem (Fin. 4. 15 nisi omnia quæ *leget* quæque rejiciet unam referantur ad summam. Phil. 5. 6 ut hos judices *legeret*, quorum lectione duplex imprimeretur reipublicæ decus.)

Pro verbo « relinquere » verbum simplex « *linquere* » Cicero ipse nonnunquam adhibuit : Planc. 10 eum *linquentem* terram eam — lacrymis prosecuti sunt. de Fat. 16 ut is in insula Lemno *linqueretur*.

Mittere [= emittere] non solum apud Livium (35, 32 qui vocem liberam *mittere* auderent ; 30, 12 si vocem supplicem *mittere* licet) animadvertas, verum etiam apud Cæsarem Ciceronemque (Cæs. B. C. 1, 2 hæc Scipionis oratio ex ipsius ore Pompeji *mitti* videbatur. — Cicer. Sext. 19 vocem pro me nemo *mittit*. Flacc. 3 vox de quæstura nulla *missa* est.

Quid de « *ponere* » [= deponere] verbo dicam, quod in his Cæsaris (B. G. 4, 37 arma *ponere* jusserunt) Ciceronisque locis occurrit (Tusc. 5, 20 cum pila ludere vellet, tunicamque *poneret*. Or. 69 *ponendus* est ille verborum ambitus) ?

sito præmio. Cf. 3. 14, 8 nec quæstionis *positæ* causam intelligit] aut pro « apponere » [I. 26, 5 liquidam *posuisse* sorbitionem. Cf. 28, 4 nidoque *posuit* pullis, escam ut carperent] : sed eorum tamen verborum illud ita adhibuerunt Cicero (1) et Virgilius (2), hoc autem Cato (3) Horatiusque (4).

Hæc vero duo, quæ sequentur, verba « *ligare* » pro « alligare » [4. 6, 5 duces eorum qui capitibus cornua suis *ligarant*], « *mittere* » pro « demittere » [5. 7, 23 aulæo *misso*, devolutis tonitribus] nusquam alibi ita adhibita equidem reperi : quorum alterum eo insolentius videtur, quod ut composito verbo « alligare » ita simplici « ligare » dativus adjungitur.

β) Optimos scriptores latinos scimus cum infinitivo passivo non « cœpi, desii », sed « cœptus sum, desitus sum » solere construere (5). Ab illa lege in his tribus locis Phædrus recessit :

I. 12, 11 *Lacerari cœpit* (cervus) morsibus...
4. 17, 6 *Ferri* secundis tuta *cœpit* (navis) flatibus.
5. 7, 13-14 Ut spectatorum mos est et lepidum genus,

---

(1) De Or. I. 22, 102 quæstiunculam *ponitis*. Cf. Tusc. 1. 4.

(2) Æn. 5, 292 invitat pretiis animos et præmia *ponit*.

(3) R. R. 79 et 81 globos melle unguito ; ita *ponito*.

(4) Sat. 2. 2, 23 *posito* pavone,.... hoc potius quam gallina tergere palatum.

(5) Cf. Madvig §. 161. Dræger I. p. 159, sq.
Quam contra legem ne semel quidem Cæsarem et Ciceronem peccavisse constat : nempe hæc, quæ in Tuscul. (I. 13, 29) legitur oratio : « qui nondum ea quæ — *tractari cœpissent* » ita singularis est ut « *cœpta sunt* » Keil haud immerito restituerit.

Desiderari cœpit (tibicen). [al. lect. id lepidum genus *desiderare cœpit*].

Ideo vero excusatione dignus videtur, quia, ut jam ante ejus tempora contra eamdem legem Varro (1), Livius (2), Horatius (3) deliquerunt, ita multi ejusdem ætate, inter quos Vitruvius (4) Vellejusque (5).

γ) Verbum « *persuaderi* », quod pro impersonali verbo a bonis scriptoribus habitum esse scimus, pro personali Phædrus adhibuit :

I. 8, 7 Tandem *persuasa est* jurejurando gruis.
3. 5, 8 *Persuasus* ille fecit quod monitus fuit.

Quam multi autem et priores et æquales vitiosam illam admiserunt locutionem ! Quæ non modo apud Propertium (6) et Valerium Maximum (7), verum etiam apud Cornificium (ad Her. auct.) (8) Ciceronemque (9), certe in familiaribus epistolis, invenitur !

Multo magis vitiosa æquales Phædro scriptores

---

(1) De Re rust. 3, 9 ova quæ incubantur habeantne semen pulli curator quatriduo postquam *incubari cœpit* intelligere potest [haud scio an legendum sit : postquam *incubare cœpit* (gallina)].
(2) Multa excepit exempla O. Riemann : « Etude sur la lang. et la gram. de T. Live, p. 161, sq.
(3) Ep. 2. 3, 21 amphora *cœpit institui*.
(4) 10, 14 (pag. 263) *cœperit versari* certum modum.
(5) 1. 8, 3 *cœperunt* in denos annos *creari*.
(6) 5. 1, 146 *persuasæ* fallere rima sat est.
(7) 3. 8, 1 Capuam — pacisci *persuasam*.
(8) 1. 6 cum animus auditoris *persuasus* videtur esse ab iis.
(9) Cæcina ap. Cic. Fam. 6. 7, 2 si scit et *persuasus est*.

admiserunt, qui hæc verba « *obstrepor*, *credor*, *dubitor*, *noceor* » quæ quidem a bonis scriptoribus impersonalia habentur, pro personalibus verbis duxerint : etenim « *obstrepor* » ita usurpatum in hoc Valerii Maximi loco videmus :

8. 15, 8 quæ in Cn. Pompeium congesta sunt — litterarum monumentis *obstrepuntur*.

Verba « *credor*, *dubitor* » in his Ovidii versibus reperias :

Trist. 3. 10, 35 vix equidem *credar*. Met. 7, 98 *creditus* accepit. Fast. 3. 351 at certe *credemur*. 4. 204 vetustas *creditur*. [Cf. Virg. Æn. 2, 247 non unquam *credita* Teucris. Val. Max. 9. 15 ext. 1 *credita* esset incendio periisse.] — Met. 2, 20 *dubitati* tecta parentis. 6, 208 an dea sim *dubitor*. [Cf. Virg. Æn. 3, 170 longævo dicta parenti haud *dubitanda*.]

Quid de verbo « *noceo* » dicam, quod contra sanæ latinitatis leges passive usurpatum apud Vitruvium animadvertimus ?

2. 9 (p. 59) larix non *nocetur*. — Ibid. 7 (p. 45) ab ignis vehementia *nocentur*.

Quæ enumeravi verba, excepto uno « obstrepo », apud Nostrum occurrunt (1) ; nusquam vero ea passive adhibentur.

δ) Ideo quoque et æquales Phædro scriptores et priores reprehendendi sunt quod multa eorum, quæ intransitiva sunt, verborum transitive adhi-

(1) *Credere* I. 10, 10 ; 3. Pr. 24 ; *dubitare* I. 14, 15 ; *nocere* 5. 3, 12.

bent: exemplo sit « *festinare* » quod apud Virgilium (1), Horatium (2), Ovidium (3) multosque alios posterioris ætatis scriptores frequentissime occurrit; exemplo sint etiam verba «*properare, regnare*», quorum alterum Virgilius (4), Tibullus (5), Propertius (6), Ovidius (7); alterum vero Virgilius (8) et Ovidius (9), contra puri sermonis leges, transitive extulerunt.

Quibus scriptoribus ideo purior Phædrus videtur, quia intransitive demum tria verba illa protulit:

3. 19, 9 Abiit *festinans* domum.
3. 2, 11 In cubile *properat*.
3. 7, 27 *Regnare* nolo, liber ut non sim mihi.

ε) Tum quoque a sano sermone desciscunt æquales et vel prioris ætatis scriptores, cum deponentium verborum participium, quod active demum apud

---

(1) Æn. 4, 575 *festinare fugam*.
(2) Ep. I. 2, 61 *pœnas* odio per vim *festinat* inulto.
(3) M. 11, 575 *festinat vestes*. Pont. 4. 5, 8 *festinatum* faciatis iter. — [Cf. Tacit. H. 3, 37 extr. cum belli civilis præmia *festinarentur*. — 2, 82 ea cuncta... *festinabantur*, etc. etc...]
(4) G. 4, 171 *fulmina properant*. Æn. 9, 401 pulchram *properet* per vulnera *mortem*.
(5) — 4. 1, 205 seu matura dies celerem *properat* mihi *mortem*.
(6) 3. 24 [28], 25 quod si forte tibi *properarint* fata quietem.
(7) M. 3, 296 exierat vox *properata* sub auras. 9, 587, commisi *properatis* verba tabellis. 10, 31 *properata* retexite fata. Am. 3. 1, 69 teneri *properentur* amores.
(8) Æn. 3, 14 acri quondam *regnata* Lycurgo. 6, 793 Latio *regnata* per arva Saturno.
(9) M. 8, 623 suo quondam *regnata* parenti (arva). 13, 720 *regnata*que vati Buthrotos Phrygio. Her. 10, 69 tellus justo *regnata* parenti.

bonos scriptores intelligi videmus, passive sæpius proferunt. Sic « *imitatus* » apud Ovidium occurrit (1); « *mentitus* » apud Virgilium, Ovidium, Propertiumque (2); « *oblitus* » apud Virgilium, Propertium, Tibullum (3); « *pollicitus* » denique apud Ovidium (4).

Puræ latinitati Phædrus inservit, cum omnia illa, quæ enumeravimus, participia active solum adhibet :

5. 5, 17 vocem *imitatus*. — 3. 10, 13 multa *mentitus*. — 1. 27, 7 *oblitus* cibi fame est consumptus. — 3. Epil., 9 quod es *pollicitus*.

V. — DE ADVERBIO

Non minus vere latino sermoni Noster obsequitur, cum non « *tantum quantum* » sed « *tanto quanto* » ante comparationis nomina collocat :

« 4 Ep. 8-9 Quæ commendari *tanto* debet justius *Quanto* poetæ sunt molesti validius. »

Quod non ubique apud æquales Phædro scriptores

---

(1) M. 9, 481 nec abest *imitata* voluptas. Art. Am I. 439 *imitata* amantum verba.

(2) Virg. Æn. 2, 422 *mentita*que tela agnoscunt. — Ovid. M. 5, 326 *mentitis* celasse figuris. 10, 439 nomine *mentito*. Fast. 6, 426 *mentito* reddidit ore sonos. Prop. 5. 7, 58 *mentitæ* lignea monstra bovis.

(3) Virg. Ecl. 9, 53 *oblita* mihi tot carmina. — Prop. I. 6, 20 *oblitis* jura refer sociis. — 15, 26 *oblitos* parce movere deos. — Tib. I. 1, 14 [32] *oblita* matre.

(4) Fast. 3. 366 *pollicitam* dictis — adde fidem.

invenias, cum apud Valerium Maximum hæc locutio occurrat :

« 4. 1, 1 *Quantum* domo inferior *tantum* gloria superior »

atque hæc apud Vitruvium :

« *Tantum* minus quanto minus magno corpore » 9. 3 (p. 216 (1).

(1) Idem in Livio reprehendit O. Riemann : Etude sur la ang. et la gram. de T. Live, p. 208.

CAPUT III

DE CASIBUS

I. — ACCUSATIVUS CASUS

a) In hoc parum emendata est Phædri oratio, quod verbum « *rogare* », vel cum postulata res quolibet nomine enuntiatur, cum duobus accusativis conjungitur : quod quidem fit, sive *rogare* idem atque « interrogare », sive idem atque « precari » significat :

4. 19, 5 *Hanc* (colubram) cum rogaret *causam* facinoris.
1. 16, 3 *Ovem* rogabat cervus *modium* tritici.

Hoc sane multo minus insolitum quam illud videtur : nempe apud Plautum (1), Horatium (2), Livium (3) cum duobus accusativis conjungitur « *rogare* », cum ei verbo sensus inest « precari ». Cum vero « *rogare* » idem atque « *interrogare* » valet,

---

(1) Pseud. 4. 6, 8 roga *me* viginti *minas*.
(2) Od. 2. 16, 1 *otium divos* rogat.
(3) 3. 65, 4 qui *plebem* romanam *tribunos* - rogaret. 6. 42, 14 ut *duoviros* ædiles — *populum* rogaret.

tum demum cum duobus accusativis id verbum conjungi Dræger præcipit, cum res postulata neutro pronomine aut vocabulo « sententiam » enuntietur (§ 168, F.).

β) Non minus etiam in hoc Phædrum reprehendas quod verbum « *vesci* » cum accusativo (1) construat: quod ut admodum rarum est, ita apud nonnullos tamen reperias, inter quos Atticum (apud Nonium) (2), Tibullum (3), Plinium (4) nominaverimus.

γ) Denique a bonorum scriptorum consuetudine Phædrus deflectit, cum intransitiva verba, quibus præpositio apposita est, ita pro transitivis ducit, ut eis accusativum non dubitet adjungere :

4. 1, 1 Qui natus est infelix non *vitam* modo Tristem *decurrit.*
3. Ep. 28 *Excedit* animus, quem proposuit, *terminum*.
4. 6, 4 Ægre recepti tamen *evaserunt necem*.

Sed illorum trium verborum ne unum quidem est quin ita adhibitum non modo apud æquales, verum etiam apud priores inveniatur. Sic « *decurrere* » apud Lucretium, Virgilium, Ovidium, Propertium (4); « *excedere* » apud Livium, Ovidium, Vel-

---

(1) 1. 31, 2 cœpit vesci *singulas* (ranas). — Alibi, sicut boni scriptores, cum ablativo « vesci » conjungit : 2. 6, 13 vescatur *cibo*.

(2) 4, 478 eamdem vescatur *dapem*. — (3) 2. 5, 64 *lauros* vesci. — (4) 8. 50, 76 *caprinum jecur* vesci...

(4) Lucr. 3, 1055 *decurrere lumen* vitæ. 4, 1192 *spatium decurrere*. — Virg. G. 2, 39 inceptum *decurre laborem*. — Ovid. Trist. 3. 4, 33 *spatium decurrere* vitæ. Prop. 3. 7 [15], 41 cuperent *decurrere vitam*.

lejum (1); « *evadere* » denique apud Virgilium, Livium Ovidiumque (2) deprehendas.

Ubicumque igitur Phædrus de accusativo casu peccavit, ibi æquales quoque prioresque peccaverunt. Restat ut ubi vitiosa est æqualium oratio, ibi nonnunquam ab omni vitio vacuum esse Phædri sermonem ostendamus. Nempe eo licentiæ progrediuntur æquales, ut complura verba simplicia, quæ vulgo intransitive soleant adhiberi, cum accusativo casu construant : sic verbum « *tremere* » cum accusativo conjungunt Virgilius, Horatius, Propertius, Tibullus (3). Verbum quoque « *natare* » cum eodem casu construit Virgilius (4) et, quod non minus insolitum est, passive adhibet Ovidius (5). Quid de hisce verbis intransitivis dicam « *currere, tonare, sonare* » (6) quæ apud Virgilium aut Pro-

(1) Liv. 2. 37 (ad fin.) *urbem excederent* Volsci. 45, 20 *excedere curiam*. — Ovid. M. 7, 166 *excessit fidem*. — Vellej. 2. 122, 2 periculorumque semper *excessit modum*.

(2) Virg. G. 4, 485 *casus evaserat* omnes. Æn. 9, 560 nostras *evadere-manus*. — Liv. 21. 32, 13 *evadere angustias*. — Ovid. M. 3, 19 Panopes *evaserat arva*. 14, 126 *loca-evadere* mortis.

(3) Virg. Æn. 8, 296 *te tremuere* lacus. — Horat. Od. 3. 21, 19 iratos *trementi* regum *apices*. — Prop. 3. 15 [22], 32 *Bella* Mycenææ non *tremuere* rates. — Tib. I. 7, 4 *quem tremeret* forti milite victus Atur.

(4) G. 3, 260 nocte *natat* serus *freta*.

(5) Ars am. I. 48 novit quæ multo pisce *natentur* aquæ. Trist. 5. 2, 25 quot piscibus unda *natatur !*

(6) Virg. Æn. 3, 191 *Currimus æquor*. Prop. I. 2, 12 indociles *currere* lympha *vias*. Ovid. Pont. 2. 6, 12 quam mea debuerit *currere* cymba *viam* [al. lect : via]. —

Virg. Æn. 4, 510 ter centum *tonat* ore *deos*. — Prop. 5. I, 134 pauca — dictat Apollo Et vetat insano *verba tonare* foro.

Virg. Æn. 12, 529 avorum *sonantem nomina*. — Ovid. M.

pertium aut Tibullum aut Ovidium, interdum etiam apud omnes illos poetas pro transitivis verbis usurpata animadvertimus ?

Quæ omnia verba intransitive apud Nostrum adhibentur : *tremere* 4. 18, 23; *natare* 1. 4, 2; *currere* 3. 3, 6; 6, 9; *tonare* 3, Pr. 18; *sonare* 3. 16, 12.

II. — DATIVUS CASUS

α) Non, ut optimus quisque scriptor, post verba ea quibus præpositio apponitur præpositionem Phædrus repetit, sed cum eis, vel cum mutatio locorum agitur, dativum casum solet construere (1) : nempe non « *in mortuum* » dicit, sed « *mortuo* plagæ *congeruntur* » 4. 1, 11; non « *e quo* », sed « *cui* gemitum *exprimunt* » 4. 20, 22; non « *in nos* » sed « *nobis* peras *imposuit* Jupiter » 4. 10, 1; non « *in ceras* », sed « *ceris* opus *infundite* » 3. 13, 9.

Quod non Phædro crimini dabis, si eadem vel apud eos qui ante Phædri ætatem vixerunt, præcipueque apud Livium (2), sæpissime reperiri animadvertes.

β) Non satis habebant Phædro æquales cum compositis verbis dativum casum construere; sed vel

---

10, 205 *te* lyra pulsa manu, *te* carmina nostra *sonabunt*. — Prop. 3. 29 [31], 16 Pythius — *carmina sonat*. — Tib. I. 3, 60 dulce *sonant* — *carmen* aves. Cf. 2. 1, 32.

(1) Madvig. Lat. Sprachl. § 243, sq. Dræger, hist. Synt. 1. 406, sq.

(2) O. Riemann. Etude sur la lang. et la gr. de T. Liv. p. 202.

post simplicia verba, motum ex loco in locum indicantia, dativum usurpare non dubitabant. Sic Ovidius dicit :

M. 2, 580 *Tendebam* brachia *cœlo ;*

Propertius :

1. 15, 29 Muta prius vasto *labentur* flumina *ponto ;*

Tibullus item :

2. 6, 31 Illius dona *scpulchro* — *feram.*
2. 5, 44 Unda deum *cœlo miserit...*
1. 3, 65 *Cuicumque* rapax mors *venit* amanti.
Cf. 9, 43 ; 10, 67.

Hic quoque sanæ latinitatis legibus Phædrus obsequitur, quippe qui post ejus modi verba præpositiones « *ad*, *in* » cum accusativo casu semper adhibeat :

5. Pr, 10 *ad fabellam* talis exempli *feror.* — I. 1, 1 *ad rivum* eumdem — *venerant.* — 4. 9, 1 *in periclum* simul ac *venit.*

γ) Ubi sæpius ablativus cum « *a* » præpositione efferri solet, ibi nonnunquam dativus post passivorum verborum participium et post *quærendi* verbum usurpatur (1). Insolentior est ejus modi dativus post alia verba, ut in hoc Phædri loco :

3. 17, 11 O nata, merito sæpius *dicere omnibus.*

---

(1) Hæc, quæ plerumque vera judicaveris, de ejus modi dativo Madvig observavit : « exempla bonorum scriptorum prosæ orationis aut in participio sunt, ut res effecta tanquam externa extet et ad personam referatur sive commodi sive aliqua ejus modi ratione aut in ejus modi verbis, ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui fieri intelligatur, ut in quærendi verbo ». De Fin. I. 4, 11.

Multos autem et æquales et priores ibidem deliquisse hæc exempla comprobant :

Liv. 22, 34 *contemni patribus*. — Virg. Ecl. 6, 72 *tibi — dicatur* origo. Æn. I. 440 neque *cernitur ulli* ; 8, 272 maxima semper *dicetur nobis*. — Ovid. M. 3, 401 *omnibus auditur* ; I. 335 cava bucina *sumitur illi*. Trist. 5. 10, 37 qui non *intelligor ulli*.

III. — GENITIVUS CASUS

Quod ad genitivum casum attinet, unam orationis pravitatem in Phædro reprehendam : quæ quidem haud scio an ad eam opusculi partem potius referenda sit, ubi de vocabulis, quibus usus est Phædrus, tractavimus : nempe locutionis hujus loco « multo *pluris* » hanc, quæ prorsus insolita est « multo *majoris* » adhibuit :

2. 5, 25 Multo *majoris* alapæ mecum veneunt.

Quot vero et quam gravia, quibus Noster omnino vacat, apud æquales invenias !

a) In ea re vitiosa est æqualium Phædro scriptorum oratio, quod neutrius generis adjectiva, pro substantivis nominibus usurpata, cum genitivo casu ad unam vel plures rei partes designandas sæpius adhibentur : quod, ut vel apud eos interdum reperitur qui optimi existimantur scriptores (1), ita parum latinum ideoque vitandum esse constat. Hoc orationis vitium ne admitteret, Phædrus diligentissime cavit : qui non ut Virgilius « *gurgitis* hujus

(1) Madvig. Lat. Sprachl. §. 284. Dræger I. pag. 453. sq.

Ima tenes» (G. 4, 321) dixerit aut Ovidius «*gurgitis ima*» (M. 5, 421) «*ima lacunæ*» (Ibid. 8, 335) «*ima fontis*» (14, 793), sed « ad *imam quercum* » 2. 4, 3. — Non perinde atque Vellejus dicit «*intima ponti*» (2, 40) aut Vitruvius «*interius ventris*» (9, 7. p. 231), sed « *speluncam intimam* » 4. 20, 3. — Quid de adjectivo nomine «*medius*» memorem, quod pro substantivo nomine Ovidius, Vellejus, Vitruvius

Ovid. M. 5, 644 *medium cæli* ; 10, 233 *medium mortis*. Fast. 3, 219 *medium campi* ; 5, 493 *mediis Bæotum*. Vellej. 2, 107 *medium fluminis*. Vitr. 10, 17 p. 270 *medium lineæ*. 6. 1, p. 136 *septentrionalis axis medio*. 6. 11, p. 152 *inferiorum medio*,

Phædrus autem, bonorum scriptorum exemplum secutus, pro adjectivo nomine adhibuit?

2. 4, 2 in *media* (*quercu*). 3. 14, 5 in *media via*. 4. 5, 29 *media* in *turba*. 4. 22, 10 *medio mari*.

Quid de adjectivo nomine « *reliquus* » quod apud Livium, Vellejum, Vitruvium cum genitivo casu vitiose constructum

Tit. Liv. 24. 14, 10 *diei reliquum*. Cf. 25, 38. Vellej. 2, 123 *reliqua belli*. Vitr. 6. 4. p. 141 *reliquo lacunariorum* (1).

apud Phædrum autem secundum latini sermonis leges adhibitum videmus?

3. 4, 2 Inter *reliquas merces* atque opsonia.

Quæ cum ita sint, facile intelligi potest Phædrum cavere ne, plurimorum æqualium exemplo, adjectiva, quæ neque quantitatem exprimant neque neu-

(1) Multa alia exempla Dræger indicat I. p. 454, sq.

trius sint generis, cum genitivo partitivo construat : quæ vitiosa locutio, ut jam apud Virgilium (1), Horatium (2), Livium (3) interdum apparet, ita apud Ovidium (4) et vel prosæ orationis scriptores, Vellejum (5) scilicet Valeriumque Maximum (6) frequentius animadvertas.

β) Ubi ablativum casum cum adjectivis nonnullis optimus quisque scriptor efferre solet, ibi nonnunquam genitivum objectivum æquales Phædro scriptores vitiose usurpant : quæ frustra apud Phædrum inquiras. Namque non ut Ovidius « *opum dives* » (Fast. 3. 570) aut « *armenti dives* » (Her. 9, 91) (7) dicit, sed, quod bonæ latinitati magis consentaneum est, « *onere dives* » 2. 7, 4. Non ut Ovidius adjectivo « *orbus* » genitivum casum « *luminis orbus* » M. 3. 517 ; 14, 189, « *Memnonis orba* » 13, 595, sed, ut boni scriptores (8), ablativum adjungit : « *orbum nato* » 3. 10, 45.

γ) Tum quoque purior æqualibus Noster videtur,

(1) G. 2, 10 *nullis hominum* cogentibus. Ib. 26 *sylvarumque* aliæ — exspectant. Æn 1. 511 *Teucrorumque alios.*

(2) Od. 1. 10, 19 *superis deorum.* Sat. 2. 2, 60 *aliosve dierum* festos.

(3) Hæc exempla Dræger excepit : *expediti militum, delecti patrum, circumfusi militum, Macedonum omnibus, omnes Tarquiniæ gentis,* etc.... (I. p. 457).

(4) Met. 4, 631 *hominum cunctos* ingenti corpore præstans.

(5) 2. 90 *veteribus* romanorum *ducum.*

(6) 2. 16, 17 *nulli mortalium.* — 2. 6, 9 *eorum nulli.*

(7) Cf. Virg. G. 2, 136 *sylvæ ditissima* terra. 468 *dives opum.* Æn. 2, 22 *dives opum.*

(8) Cic. Leg. 3, 3 plebem *orbam tribunis.* — Fam. 4, 13 *orbus iis rebus.* Hor. od. 4. 2, 43 forum-*litibus orbum,* etc., etc.

cum non, ut poetæ atque ipsi prosæ orationis scriptores (1), adjectiva nonnulla cum eo genitivo, qui genitivus græcus vocatur, insolentius construit : quippe non, sicut Ovidius Virgiliusque, adjectivis « *timidus*, *trepidus* » genitivum casum adjungit

Ovid. M. 5, 100 *timidusque deorum*. Cf. Hor. A. P. 28 *timidusque procellæ*. Virg. *trepidæ rerum* Æn. 12, 589,

sed verba, quibus eadem inest atque adjectivis illis significatio, cum accusativo casu mavult adhibere :

Ruinam metuens 2. 4, 21 ; *istum timeo* 3. 6, 5.

IV. — ABLATIVUS CASUS

α) A sincera latinitate Phædrus deflectit cum in quæstione « *ubi* », id est ad locos ubi fit aliqua res designandos, ablativo solo sine « *in* » præpositione frequentius et audacius utitur : nempe non semper ejusmodi ablativo pronomen aut adjectivum apponit, sed etiam, quod multo insolentius est, ablativum solum proferre non dubitat :

1. 13, 7 quantum decoris *corpore* et *vultu* geris ! 27, 11 *trivio* concepte et educate *stercore*. 28, 4 *nido* posuit pullis. 2. 4, 21 aquila *ramis* desidet. 7, 5 clarum *collo* jactat tintinnabulum. 3. 10, 30 uxorem dormientem *cubiculo*. 7, 6 nec unquam pelii nemoris *jugo*.

---

(1) Vellej. I. 3 *acer belli* juvenis. 12, 3 *ingenii* ac *studiorum eminentissimus*. § 4 *modicus virium*. I. 18 urbes liberalium *studiorum steriles*. — 2, 27 vir *animi* [domi] *belli*que *fortissimus*. — 2. 63 *irritus consilii*. Val. M. 9, 15 ext. 1 *irrita* nefarii *propositi* abiit. 5. 6, 2 et *animi* et *generis nobilissimus*.

Illa quidem puro sermoni repugnant; sed quam multa ejusdem generis nec minus vitiosa apud æquales, imo vel apud priores inveneris! Nempe, ut poetas omittam, quos illa licentia frequentius usos esse constat, ipsi prosæ orationis scriptores, atque in primis Livius (1), idem admiserunt.

β) Ubi ablativum casum cum « *ab*, *ex*, *de* » præpositionibus optimus quisque scriptor efferre solet (2), ibi nonnunquam, ad locos unde quis discedit designandos, ablativum solum usurpat:

I. 19, 10 *cedam loco.* 2. 8, 1 cervus memorosis *excitatus latibulis.*

3. Pr. 21 curam penitus *corde eraserim.* 4, 9, 11 *evasit puteo.* 25, 28 *promorat* vix pedem *triclinio.*

Ideo vero excusatione dignus est Phædrus, quod ex iis quæ enumeravimus verbis unum « *cedere* » ita cum ablativo Cicero ipse (3) conjunxit atque his tribus verbis « *excitare*, *eradere*, *evadere* » præpositio « *ex* » apponitur : unde fit ut e quinque verbis unum, « *promovere* » scilicet, cum ablativo casu insolentius construatur. Verum enim vero quot verba simplicia sic cum ablativo solo adhibita non modo apud poetas, sed etiam apud prosæ orationis

---

(1) Hæc exempla Dræger excepit : I. 34, 8 *carpento* sedenti. 40, 9 *plaustro* conjugem ac liberos habens. 22. 4, 6 nebula *campo* quam *montibus* densior sederat.

(2) Madvig lat. Spr. §. 275. Dræger I. p. 498, sq.

(3) Vide Dræger I. p. 502.

scriptores, Livium (1), Vellejum (2), Valerium Maximum (3) reperias!

γ) Hæc est bonorum scriptorum, præcipue Ciceronis ac Cæsaris, consuetudo, ut *modi* ablativo, cum solus sine pronomine aut adjectivo efferatur, præpositionem « *cum* » adjungant. Cui legi non inserviunt nonnulla vocabula, maximeque ea quæ in arte grammatica Madvig (4) enumerat « *ordine, ratione, more, jure, injuria, consensu, clamore, silentio, dolo, fraude, vi, vitio, cursu, agmine* ». Itaque in ea re parum latinus est Phædrus, quod alias atque eas quas Madvig enumerat voces pro ablativo modi usurpat, neque conjunctione eis neque adjectivo aut pronomine apposito :

I. 25, 6 quamlibet lambe *otio* (= otiose). 2. Ep. 13 *arte* fictas fabulas. 4. 5, 37 vitam quæ *luxu* trahit. 5. 3, 12 qui *consilio* est nocens.

Quod in Phædro reprehendimus minus vitiosum videbitur, si et duo e quatuor illis ablativis casibus apud Virgilium (5) occurrere observaverimus et multos alios (6) apud æquales prioresque inveniri, quorum ne unus quidem apud Phædrum appareat.

---

(1) I. 31, 2 *cecidere cœlo* lapides. 27. 41, 8 eques pedesque *portis ruere*. 9. 3, 3 montes *moliri sede* sua, etc., etc.

(2) I. 16, 2 animalia nihilo minus *separata alienis*. 2. 32, 5 *remoto mari* loco.

(3) 2. 7, 6 *præsidio progressus* hostis. 8. 10, 2 *foro petitos* gestus. 9. 2, 4 jugulatos *muris præcipitavit*.

(4) §. 258, 2. Cf. Dræger §. 225.

(5) G. 4. 56 *arte* recentes Excudunt ceras. — Æn. 4. 193 hiemem inter se *luxu* fovere.

(6) Virg. G. 3. 379 noctem *ludo* ducunt. Æn. 2. 323 *gemitu*

δ) Non conjunctivas quidem particulas «*ac*, *atque*», sed ablativum casum pronomini « *alius* » Phædrus adjungit :

3. Pr., 41 Si accusator *alius Sejano* foret;

sed illa dicendi ratio, ut non sinceræ latinitati prorsus consentanea est, ita vel apud Ciceronem, certe in familiaribus epistolis, Varronem Horatiumque (1) reperitur.

ε) Ita demum adhiberi scimus, qui *absolutus* vocetur, ablativum, si ad nullum orationis vocabulum referatur. Quam contra legem etsi vel optimi scriptores sæpius deliquerunt (quod quidem fit cum verborum comprehensionem, in qua est participium, meliore in luce volunt collocare) (2), attamen haud dubium est quin *absolutus* ablativus in hisce locis parum latinus esse videatur :

Ovid. M. 3. 459 lacrymasque *notavi*, *me lacrymante*, tuas. Fast. 2. 139 castas, *duce se*, *jubet* esse maritas. Am. 2. 12, 13 *me duce* ad hanc voti finem, *me* milite *veni*. — Vellej. 2. 44 *hoc* igitur *consule* inter *eum* et Cn. Pompeium — inita potentiæ societas. — Val. Max. 1. 8, 6 non *audentibus Romanis* prælio congredi — *eos* hortari cœpit.

Idcirco igitur laudandus est Noster, quia pravitates illas orationis diligentissime evitavit.

— talia reddit. Vellej. 1. 17 *pace* Crassi — dixerim. Cf. 2. 129 Val. Max. 5. 2 ext. præf.

(1) Cic. Fam. 11. 2, 2 nec quidquam *aliud libertate* communi. — Varro R. R. 3. 16, 23 *aliud melle*. — Hor. Sat. 2. 3, 208 species *alias veris*. Ep. 1. 16, 20 *alium sapiente*; 2. 1, 240 *alius Lysippo*.

(2) Madvig § 428, not. 1.

ζ) Non minore laude dignus est, quod non ut Ovidius (1) et vel Horatius (2) « *simul* » cum ablativo casu usurpavit, sed, sicut boni scriptores, cum præpositione « *cum* » ablativum adhibuit :

Simul *cum grege* 2. 4, 14 ; — ornamenta *cum* venustis *hortulis* 4. 5, 34.

---

(1) M. 2, 19 *quo simul* — venit Cf. 470 ; 4. 449. Trist. 5. 10, 29 *simul nobis*.

(2) Sat. I. 10, 86 *simul his*.

δ) Non conjunctivas quidem particulas «*ac*, *atque*», sed ablativum casum pronomini «*alius*» Phædrus adjungit :

3. Pr., 41 Si accusator *alius Sejano* foret;

sed illa dicendi ratio, ut non sinceræ latinitati prorsus consentanea est, ita vel apud Ciceronem, certe in familiaribus epistolis, Varronem Horatiumque (1) reperitur.

ε) Ita demum adhiberi scimus, qui *absolutus* vocetur, ablativum, si ad nullum orationis vocabulum referatur. Quam contra legem etsi vel optimi scriptores sæpius deliquerunt (quod quidem fit cum verborum comprehensionem, in qua est participium, meliore in luce volunt collocare) (2), attamen haud dubium est quin *absolutus* ablativus in hisce locis parum latinus esse videatur :

Ovid. M. 3. 459 lacrymasque *notavi*, *me lacrymante*, tuas. Fast. 2. 139 castas, *duce se*, *jubet* esse maritas. Am. 2. 12, 13 *me duce* ad hanc voti finem, *me* milite *veni*. — Vellej. 2. 44 *hoc* igitur *consule* inter *eum* et Cn. Pompeium — inita potentiæ societas. — Val. Max. 1. 8, 6 non *audentibus Romanis* prælio congredi — *eos* hortari cœpit.

Idcirco igitur laudandus est Noster, quia pravitates illas orationis diligentissime evitavit.

— talia reddit. Vellej. 1. 17 *pace* Crassi — dixerim. Cf. 2. 129 Val. Max. 5. 2 ext. præf.

(1) Cic. Fam. 11. 2, 2 nec quidquam *aliud libertate* communi. — Varro R. R. 3. 16, 23 *aliud melle*. — Hor. Sat. 2. 3, 208 species *alias veris*. Ep. 1. 16, 20 *alium sapiente*; 2. 1, 240 *alius Lysippo*.

(2) Madvig § 428, not. 1.

ζ) Non minore laude dignus est, quod non ut Ovidius (1) et vel Horatius (2) « *simul* » cum ablativo casu usurpavit, sed, sicut boni scriptores, cum præpositione « *cum* » ablativum adhibuit :

Simul *cum grege* 2. 4, 14; — ornamenta *cum* venustis *hortulis* 4. 5, 34.

(1) M. 2, 19 *quo simul* — venit Cf. 470; 4. 449. Trist. 5. 10, 29 *simul nobis*.
(2) Sat. I. 10, 86 *simul his*.

CAPUT IV

DE VERBORUM TEMPORIBUS ET MODIS

I. — DE TEMPORIBUS

Æqualium Phædro scriptorum opera perlegenti apparet quantum in temporibus verborum adhibendis a bona sinceraque latinitate deflectant: qui tantum abest ut suam temporibus vim propriam servent ut, cum rei metricæ necessitate cogantur, pro aliis alia tempora admittant. Nempe non modo, ubi infinitivus præsentis desideratur, ibi nonnunquam infinitivum præteriti adhibent (1); sed etiam, cum duæ pluresve ejusdem ordinis verborum comprehensiones continuantur, nunc præsentis nunc præteriti infinitivum usurpant :

Tib. I. 1, 29-32 Nec tamen interdum pudeat *tenuisse* bi-

---

(1) Quod fit sæpius post verba *potestatis* et *voluntatis*. Tib. 2. I, 9-10 non *audeat* ulla Lanificam pensis *imposuisse* manum. I. 6, 74 venerit iste si furor, *optarim* non *habuisse* manum. — Ovid. Am. I. 4, 38 oscula præcipue nulla *dedisse velis*. Art. Am. 3, 319 nec plectrum dextra citharam *tenuisse* sinistra *nesciat*. — Prop. 3, 12 [19], 32 absenti nemo ne *nocuisse velit*. I. 7, 16 *nolim* nostros te *violasse* deos. — Val. Max. 4. 3, 14 *abunde erit* — *rettulisse*.

dentes — non agnamve sinu pigeat — *referre*. 45-46 Quam juvat immites ventos *audire* cubantem Et dominam tenero *detinuisse* sinu. 2, 93-94 *Stare* nec ante fores puduit caræve puellæ Ancillam medio *detinuisse* foro.... Ovid. M. 5, 429-430 *molliri* membra videres, Ossa *pati* flexus, ungues *posuisse* rigorem, etc....

Imo usque eo procedunt, quos nominavimus, scriptores ut vel ea quæ *personalia* dicuntur tempora ita variare non dubitent : sic in hoc Tibulli loco præteritum et præsens

I. 7, 40, sq. Bacchus-pectora tristitiæ dissoluenda *dedit*, Bacchus et adflictis requiem mortalibus *affert*. 10, 47 Pax *aluit* vites et sucos *condidit* uvæ — Pace bidens vomerque *vigent*,

atque in his Propertii versibus præteritum, imperfectum, plus quam perfectum videmus :

4. 12 [13], 35 Hinulei pellis stratos *operibat* amantes Altaque nativo *creverat* herba toro, Pinus et incumbens lentas *circumdabat* umbras, nec *fuerat* nudas pœna videre deas, Corniger atque dei vacuam pastoris in aulam Dux aries saturas ipse *reduxit* oves Dique deæque omnes — *præbebant* vestris verba benigna focis. Cf. 5. 1, 131 sq. ; 4. 3, sq.

Itaque laudes maximæ Phædro agendæ sunt quod, licet ei contra metrorum leges pugnandum fuit, nullam ejus modi licentiam admisit : sic, ut, exemplo utar, in his, quæ sequuntur, verborum continuationibus, ubique præsens adhibet :

2. 8, 10 Spatium diei noctis *excipiunt* vices ; Frondem bubulcus *adfert*, nil ideo *videt* ; *Eunt* subinde et *redeunt* omnes rustici, Nemo *animadvertit* ; *transit* etiam villicus Nec ille quidquam *sentit*. Cf. 3. 2, 10 Veloci saltu fovea sese *liberat*, Et in cubile concito *properat* gradu. Paucis diebus interpo-

sitis *provolat*, Pecus *trucidat*, ipsos pastores *necat* Et cuncta vastans *sævit* irato impetu.

In sequentibus verborum complexionibus præteritum ubique servatur :

I. 3, 4 (Graculus) pennas pavoni quæ deciderant *sustulit* Seque *exornavit*; deinde contemnens suos Se *immiscuit* pavonum formoso gregi.

Cf. I. 21, 5 Aper fulmineis ad eum *venit* dentibus Et *vindicavit* ictu veterem injuriam; Infestis taurus mox *confodit* cornibus... ; asinus... calcibus frontem *extudit*.

Non minus etiam ideo laudandus est Phædrus quia, cum in *præcipua* verborum comprehensione futurum tempus est, in *subjecta* quoque futurum post « *si* » conjunctionem semper adhibuit :

3. Pr. 31 Quem (librum) *si leges, lætabor*. 45 *Si* quis *errabit* — stulte *nudabit* animi conscientiam. — 1. 5, 10 Malo *adficietur*, *si* quis quartam *tetigerit*. — 19, 10 (*si*) par esse *potueris, cedam* loco. 2. 8, 18 *si venerit*, Magno in periclo vita *vertetur* tua, etc., etc.

Cui grammaticæ legi non ubique æquales Phædro scriptores obsecutos esse hæc ex Ovidio et Valerio Maximo excerpta loca comprobabunt :

Ovid. Her. 6, 123 *si quæris — cognosceris*. 15 [16], 323 *Si pudet* et *metuis* — Ipse reus sine te criminis hujus *ero* Trist. 2, 33 *Si* — sua fulmina *mittat*, inermis *erit*. Val. Max. 2. 10, 2 delapsa cœlo sidera hominibus *si* se *offerant*, venerationis amplius non *recipient*.

II. — DE MODIS

A. *De infinitivo modo.*

a) In hoc consentiunt poetæ et omnes ii qui post argenteam ætatem scripserunt, ut infinitivo liberius utantur atque, exempli causa, ubi subjunctivum cum « ut » egregius quisque scriptor solet efferre, infinitivum usurpent.

Merito quidem Phædrum possis reprehendere, quod infinitivum cum hisce verbis conjunxerit : *captare* 4. 8, 6 (me *captas lædere*) ; *merere* 3. 11, 7 (quod *meruit pati*) ; *optare* 5. 3, 10 (*optem necare*) ; *quœrere* 3. Pr., 25 (*exaggerare quœrit*) ; *suadere* I. 15, 6 (1) (*suadebat* animo *fugere*). Illorum vero verborum nullum est quin apud æquales Phædro scriptores, imo apud priores ita cum infinitivo adhibitum reperias (2).

---

(1) Alibi *suadere* cum « *ut* » construit : 2. 6, 11 *suadet ut* scopulum super *illidat*.

(2) *Captare*. — Ovid. Met. 10, 58 Prendique et *prendere captans*. Colum. 8, 11 agricola *captans* undique voluptates *acquirere*.

Merere. — Ovid. M. 1, 243 quas (pœnas) *meruere pati*. 8, 127 *merui—perire*. 9, 563 *merere* meo *subscribi* causa sepulcro. Trist. 5. 11, 16 Quæ *merui* vitio *perdere* cuncta meo. id. Pont. 3. 2, 20 Sic *appellari* non *meruere* mali. — Prop. 2. 5, 3 Hæc *merui sperare*. — Vellej. 1. 5, 1 solus (Homerus) *appellari* poeta *meruit*. — Val. Max. 9. 13, 2 *occultari* non *merentur*.

Optare. — Terent. Andr. 4. 5, 2 inhoneste *optavit parere* hic divitias potius quam in patria honeste pauper vivere. —

Insolentius quidem cum his duobus vocabulis « *causa, delector* » infinitivus modus construitur :

3. Pr., 6 Non *causa* est manibus id *tangi* tuis.
5. 3, 9 Quæ *delectaris bibere* humanum sanguinem.

Ideo vero aliquatenus excusandus est Phædrus, quod et alibi se ipse corrigit dicitque

« En, ait, hoc unum est *cur laborem* validius » 3. 11, 4,

et, quam in Phædro reprehendimus, dicendi ratio apud priores æqualesque invenitur : nempe ut substantivum nomen « *causa* » Virgilius ac Tibullus

Æn. 10, 90 Quæ *causa* fuit *consurgere* in arma
Tib. 3. 2, 29-30 dolor huic — *causa perire* fuit,

ita verbum « *delector* » Horatius cum infinitivo modo construxit

Ep. I. 16, 32 Vir bonus et prudens *dici delector*.

Virg. Æn. 6, 501 Quis tam crudeles *optavit sumere* pœnas? — Ovid. M. 4, 187 aliquis.... *optat* sic *fieri* turpis. 316, visumque *optavit habere*. Cf. 5, 559. 10, 364.

Quærere. — Lucr. 4, 1090 *bibere* in somnis sitiens quom *quærit*. 1111 *contingere quærunt*. — Virg. Æn. 4, 631 *quærens — abrumpere* lucem. 6, 614 ne *quære doceri*. 7, 449 *quærentem dicere* plura. — Hor. od. I. 16, 26 *mutare quæro* tristia. 37, 22 *perire quærens*. — Ovid. M. 11, 755 si *descendere quæris*. Trist. 5. 4, 7 tristitiæ causam si quis *cognoscere quærit*. Cf. Her. 12, 175. Am. I. 8, 51.

Suadere. — Cic. de or. I. 59, 251 nemo *suaserit* studiosis dicendi adolescentibus — histrionum more *elaborare*. — Virg. G. 4, 264 Galbanos *suadebo incendere* odores. — Ovid. M. 10, 688 iter longum *requiescere suasit*. 15, 650 non *emittere* opem nec numina tradere *suadent*.

[De verbis similiter cum infinitivo constructis vide Drægeri historicam Syntaxin. II. p. 300, sq.]

Adde quod ubi sinceri sermonis legibus Phædrus inservit, ibi nonnunquam æquales infinitivum modum insolentius usurpant. Non enim, ut Ovidius (1), infinitivum cum verbo « orare », sed, ut optimi scriptores, subjunctivum modum cum « ut » adhibet:

4. 20, 5 *Oro ut* — *des* veniam.

Non, sicut Tibullus (2) et Propertius (3), cum verbo « timere » infinitivum, sed cum « ne » conjunctione subjunctivum modum :

4. 18, 18 *Timentes* aliquid *ne* simile accidat.

β) Etsi cum verbo « jubere » Cicero ipse semel atque iterum subjunctivum modum construxit, id nihilo minus reprehendendum esse judicaverim (4). Itaque ea re laudandus est Phædrus quod non, ut Horatius (5), Virgilius (6), Ovidius (7), vitiosam illam dicendi rationem admisit, sed secundum grammaticæ leges infinitivum cum accusativo casu semper adhibuit :

I. 11, 12 *Asinum-jubet* vocem *premere*. — 14, 9 *Ebibere*

---

(1) M. 6, 413 urbesque propinquæ *oravere-ire*. Cf. Virg. Ecl. 2, 43 a me illos *abducere-orat*. Æn. 6, 313 *Orantes* primi *transmittere* cursum.

(2) I. 4, 21 Nec *jurare time*.

(3) I. 14, 20 nec *timet* ostrino-*subire* toro. — Cf. Hor. Ep. I. 5, 2 Nec modica *cænare times* olus omne patella. — Ovid. Pont. 3, 1, 119 quid *adire times?*

(4) Cf. Madvig. §. 390.

(5) Sat. I. 4, 121 Sive *jubebat ut facerem* quid.

(6) Ecl. 5, 15 *jubebo ut certet* Amyntas.

(7) M. 4, 111 *jussi* nocte *venires*. 8, 792 se in præcordia *condat-jube*. 11, 587 *jube* Ceycis imagine *mittat* somnia. Cf. Am. 1. 4, 29 ; 11, 19 ; Art. Am. I. 507 ; Fast. 4, 259.

jussit ipsum posito præmio. 3. 10, 22 *dormire* mater *natum jusserat*.

γ) Quam licenter poetæ cum infinitivo adjectiva nomina conjungant, qualia « doctus, indoctus, docilis, indocilis, patiens, impatiens, potens, impotens, bonus, utilis, etc. », neminen præterit (1). Imo nonnulli eorum, qui post Augusti tempora prosa oratione sunt locuti (2), eamdem licentiam sæpius admiserunt. Cujus vitiosæ locutionis ne unum quidem exemplum apud Phædrum reperias.

δ) Quid, quod post ea verba, quibus inest notio *permittendi*, qualia « dare, donare, tradere, dedere, committere », æquales Phædro scriptores, interdum etiam priores (3) infinitivum modum adhibent, Phædrus autem, ut optimus quisque scriptor, participio in-*dus* desinente utitur ?

I. 14, 16 Cui *calceandos* nemo *commisit* pedes.
31, 1 Qui se *committit* homini *tutandum* improbo.

ε) Quid, quod æquales Phædro poetæ ipsique prosæ orationis scriptores cum verbis motum indi-

---

(1) Cf. Dræger 2. p. 370, sq.

(2) Exemplo sit Valerius Maximus : 4. 6 præf. *cognosci utilia*. 6. 8, 5 *arduum dignosci*. 7. 3, 6 *regi difficilis* (gens).
Exemplo sit quoque Vitruvius : 6. 1, p. 135 *timidiores* ferro *resistere*.

(3) Virg. Æn. I. 65 tibi et *mulcere dedit* fluctus et *tollere* vento. 523 novam cui *condere* Jupiter urbem-*dedit*. Cf. 5, 247. 307 etc....
Hor. Sat. 2. 3, 191 Di tibi *dent* classem *deducere*.
Ovid. M. 5, 619 cui sæpe *dedisti ferre* tuos arcus. Trist. 3. 5, 21 Di tibi *tribuant defendere* semper.

cantibus infinitivum modum (1), Phædrus autem, quod quidem bonæ latinitati convenit, supinum semper conjungit ?

I. 16, 1 Fraudator homines cum *advocat sponsum* improbos.
2. 4, 14 Simul *exieris pastum*. 4. 18, 1-2 Canes legatos olim *misere* ad Jovem Melioris vitæ tempus *oratum* suæ.

ζ) Non admodum pura est Phædri oratio, cum in ea, quæ infinitiva vocatur, verborum comprehensione personale aut demonstrativum pronomen, quod fungitur *subjecti* partibus, omittitur :

I. 6, 8 Cogit (sol) miseras arida sede emori (= *nos* emori).
4. 18, 31 Non veto dimitti, verum cruciari fame (= *eos* dimitti).
3. 3, 7 Pertinere ad domini respondet caput (= *hoc* pertinere).
5. Pr, 3 Auctoritatis esse scito gratia (= *hoc* esse).
9, 5 Qui doctiorem emendat, sibi dici putet (= *hoc* dici).

Illa vero subjecti ellipsis, ut parum sano sermoni consentanea est, ita sæpius vel apud bonos scriptores (2) occurrit.

Præterea non sicut plurimi æqualium usque eo Noster procedit, ut, cum idem sit *subjectum* infinitivi et verbi regentis, infinitivo solo utatur atque infinitivi prædicatum in nominativo casu adhibeat.

---

(1) Virg. Æn. 1. 527 *populare* penates *Venimus*. — Prop. 1. 6, 33 Seu pedibus terras seu pontum *carpere* remis *Ibis*. — 20, 23 *processerat* — *quærere* fontis aquam. 3. 8 [16], 17 *mittit* me *quærere* gemmas.

Ovid. M. 5, 660 rursusque per aera *misit* (al. lect : jussit) — sacros *agitare* jugales. Her. 1. 37 te *quærere misso* (al. lect : jusso).

Val. Max. 5. 1 ext. 1 quis illam *osculari* non *curreret* ?

(2) Madvig lat. Sprach. § 401. Dræger hist. Synt. 2. § 454.

Non enim, ut Propertius Ovidiusque, latine pessime dicet.

Prop. 2. 1, 8 *Gaudet* laudatis *ire superba* comis
Ov. a. a. 1, 345 ... *gaudent esse rogatæ*,

sed, quod puri est sermonis, ita eloquetur

I. 13, 1 Qui *se laudari* gaudet. Cf. 2. 7, 11 *me contemptum* gaudeo.

Non, ut Propertius,

3. 20 [25], 19 ... *peccasse fatetur Læsus* ... Cf. Virg. Æn. 12, 568 (1),

sed, grammaticæ legibus inserviens, dicet :

3. Pr, 43 Dignum faterer *esse me* tantis malis.

B. — DE SUBJUNCTIVO MODO

In ea re quoque magis emendate quam æquales Noster loquitur, quod illi pro indicativo subjunctivum modum, pro subjunctivo indicativum sæpius usurpant, ipse autem suam cuique modo vim propriam ubique servat.

a) Nempe in obliqua interrogatione non, ut fieri solet, conjunctivum modum sed indicativum Vir-

---

(1) Cf. Ovid. M. 13, 141 *rettulit* Ajax *Esse* Jovis *pronepos*. 13, 314 *Esse reus merui*. Vellej. 2. 76, 4 parum *habebat* summa accepisse et *proximus* a Pompeio — *consul creatus esse*.

gilius (1) primum, deinde Tibullus (2) Propertius (3) sæpius usurpant. Imo vel in prosæ orationis scriptoribus, ut Valerio Maximo (4) et Vitruvio (5), idem interdum reprehendas.

Quam orationis pravitatem Phædrum evitasse hæc sola, e Phædri opere excepta, satis comprobabunt exempla :

QUIS. — 3. 2, 17 memini *quis* me saxo *petierit*. 13, 14 Apertum est *quis* non *possit* et *quis fecerit*. Epil. 32 *qui sint*, requires. 5. 2, 7 (sentiat) *quos attemptarit*.

QUALIS. — 5. 5, 38 En hic declarat *quales sitis* judices !

AN. — 1. 23, 4 tentans *an* cibo *posset* capi. 24, 5 Interrogavit *an* bove *esset* latior. 4. 9, 6 rogavit *esset an* dulcis liquor, etc., etc....

β) Tum quoque a sincera latinitate deflectunt qui Phædri ætate, imo ante ejus ætatem scripserunt, cum conjunctionem *dum* [= interea dum] cum subjunctivo modo efferunt : quod non modo apud Tibul-

---

(1) Æn. 6, 614 ne quære doceri — *Quæ* forma viros fortunave *mersit*.

(2) 2. 4, 17 Nec refero *qualis* — versis Luna *recurrit* equis.

(3) 1. 2, 9 Aspice *quo submittit* (Mueller : submittat) humus formosa colores.

Alibi subjunctivus juxta indicativum invenitur, ut in his versibus : 3. 8 [16], 29 Aspice quid donis Eriphyla *invenit* amaris *Arserit* et quantis nupta Creusa malis. 28 [30], 29 (canere) ut Semela *est* combustus, ut *est* deperditus Io, Denique ut ad Trojæ tecta *volarit* avis.

(4) 4. 3 præf. referendum est quantopere — summoti *sunt*. 5. 7, ext. 1 jam patebit quam multa — *superavit* [Car. Halm : superaverit). 8. 1, præf. recordemur quibus de causis aut absoluti *sunt* aut damnati. Cf. 8, 11. præf.

(5) 2. præf. pag. 33 quemadmodum ab his *sum* institutus exponam.

lum (1), Ovidium (2), Valerium Maximum (3), verum etiam apud Virgilium (4) Liviumque (5) invenitur.

Phædrus autem boni sermonis legibus obsequitur, qui indicativum adhibuerit :

I. 9, 6 *Dum loquitur*, ipsum accipiter rapit. 11, 9 Quæ *dum* paventes exitus notos *petunt*, — adfliguntur. 12, 5 *Dum Laudat* cornua — subito conterritus. 13, 9 *Dum vult* vocem ostendere — emisit caseum. 24, 1 *dum vult* imitari, perit. Cf. 27, 7; 31, 2; 3. 7, 15; 4. 4, 2.

Hic locus qui a nonnullis admittitur

I. 4, 2 Canis per flumen carnem *dum ferret* natans

ita insolitus est ut eum rejiciendum judicaverim : nempe pro « *dum* ». Scheffer recte conjicit « *cum* », quod habet Anonymus.

γ) Denique ut Ovidius (6) Tibullus (7) ipsique prosæ orationis scriptores Vellejus (8) Valerius

---

(1) 2. 3, 19 *caneret dum* valle sub alta.

(2) Pont. 3. 3 3 *dum — referam* (al. lect : refero).

(3) 3. 3, 2 *dum* legationis officio *fungeretur*, a rege Gentio interceptus. 9. 12, 7 *dum* sententiæ *diriberentur* — conscendit.

(4) G. 4, 457 illa *dum* te *fugeret* — non vidit. Æn. 10, 799 socii sequuntur, *dum — abiret*.

(5) Plurima exempla Dræger indicat 2. p. 609. Cf. O. Riemann. p. 223.

(6) Am. 3. 9, 68 Et *sit* humus cineri *non* onerosa tuo.

(7) 2. 1, 9 *non audeat* ulla Lanificam pensis imposuisse manum.

(8) Vellej. I. 13, 5 *non* tamen *dubites* quin... 2, 12, 6 *non* hujus consulatus *fraudetur* gloria. 26, 3 *non perdat* gloriam. 86, 3 *non prætereatur* Asinii Pollionis factum.

II. — DE MODIS

A. *De infinitivo modo.*

α) In hoc consentiunt poetæ et omnes ii qui post argenteam ætatem scripserunt, ut infinitivo liberius utantur atque, exempli causa, ubi subjunctivum cum « ut » egregius quisque scriptor solet efferre, infinitivum usurpent.

Merito quidem Phædrum possis reprehendere, quod infinitivum cum hisce verbis conjunxerit : *captare* 4. 8, 6 (me *captas lædere*) ; *merere* 3. 11, 7 (quod *meruit pati*) ; *optare* 5. 3, 10 (*optem necare*) ; *quærere* 3. Pr., 25 (*exaggerare quærit*) ; *suadere* I. 15, 6 (1) (*suadebat* animo *fugere*). Illorum vero verborum nullum est quin apud æquales Phædro scriptores, imo apud priores ita cum infinitivo adhibitum reperias (2).

---

(1) Alibi *suadere* cum « *ut* » construit : 2. 6, 11 *suadet ut* scopulum super *illidat*.

(2) *Captare*. — Ovid. Met. 10, 58 Prendique et *prendere captans*. Colum. 8, 11 agricola *captans* undique voluptates *acquirere*.

Merere. — Ovid. M. 1, 243 quas (pœnas) *meruere pati*. 8, 127 *merui—perire*. 9, 563 *merere* meo *subscribi* causa sepulcro. Trist. 5. 11, 16 Quæ *merui* vitio *perdere* cuncta meo. id. Pont. 3. 2, 20 Sic *appellari* non *meruere* mali. — Prop. 2. 5, 3 Hæc *merui sperare*. — Vellej. 1. 5, 1 solus (Homerus) *appellari* poeta *meruit*. — Val. Max. 9. 13, 2 *occultari* non *merentur*.

Optare. — Terent. Andr. 4. 5, 2 inhoneste *optavit parere* hic divitias potius quam in patria honeste pauper vivere. —

Insolentius quidem cum his duobus vocabulis « *causa, delector* » infinitivus modus construitur :

3. Pr., 6 Non *causa* est manibus id *tangi* tuis.
5. 3, 9 Quæ *delectaris bibere* humanum sanguinem.

Ideo vero aliquatenus excusandus est Phædrus, quod et alibi se ipse corrigit dicitque

« En, ait, hoc unum est *cur laborem* validius » 3. 11, 4,

et, quam in Phædro reprehendimus, dicendi ratio apud priores æqualesque invenitur : nempe ut substantivum nomen « *causa* » Virgilius ac Tibullus

Æn. 10, 90 Quæ *causa* fuit *consurgere* in arma
Tib. 3. 2, 29-30 dolor huic — *causa perire* fuit,

ita verbum « *delector* » Horatius cum infinitivo modo construxit

Ep. I. 16, 32 Vir bonus et prudens *dici delector*.

Virg. Æn. 6, 501 Quis tam crudeles *optavit sumere* pœnas? — Ovid. M. 4, 187 aliquis.... *optat* sic *fieri* turpis. 316, visumque *optavit habere*. Cf. 5, 559. 10, 364.

Quærere. — Lucr. 4, 1090 *bibere* in somnis sitiens quom *quærit*. 1111 *contingere quærunt*. — Virg. Æn. 4, 631 *quærens* — *abrumpere* lucem. 6, 614 ne *quære doceri*. 7, 449 *quærentem dicere* plura. — Hor. od. I. 16, 26 *mutare quæro* tristia. 37, 22 *perire quærens*. — Ovid. M. 11, 755 si *descendere quæris*. Trist. 5. 4, 7 tristitiæ causam si quis *cognoscere quærit*. Cf. Her. 12, 175. Am. I. 8, 51.

Suadere. — Cic. de or. I. 59, 251 nemo *suaserit* studiosis dicendi adolescentibus — histrionum more *elaborare*. — Virg. G. 4, 264 Galbanos *suadebo incendere* odores. — Ovid. M. 10, 688 iter longum *requiescere suasit*. 15, 650 non *emittere* opem nec numina tradere *suadent*.

[De verbis similiter cum infinitivo constructis vide Drægeri historicam Syntaxin. II. p. 300, sq.]

Adde quod ubi sinceri sermonis legibus Phædrus inservit, ibi nonnunquam æquales infinitivum modum insolentius usurpant. Non enim, ut Ovidius (1), infinitivum cum verbo « orare », sed, ut optimi scriptores, subjunctivum modum cum « ut » adhibet:

4. 20, 5 *Oro ut* — *des* veniam.

Non, sicut Tibullus (2) et Propertius (3), cum verbo « timere » infinitivum, sed cum « ne » conjunctione subjunctivum modum :

4. 18, 18 *Timentes* aliquid *ne* simile accidat.

β) Etsi cum verbo « jubere » Cicero ipse semel atque iterum subjunctivum modum construxit, id nihilo minus reprehendendum esse judicaverim (4). Itaque ea re laudandus est Phædrus quod non, ut Horatius (5), Virgilius (6), Ovidius (7), vitiosam illam dicendi rationem admisit, sed secundum grammaticæ leges infinitivum cum accusativo casu semper adhibuit :

I. 11, 12 *Asinum-jubet* vocem *premere*. — 14, 9 *Ebibere*

---

(1) M. 6, 413 urbesque propinquæ *oravere-ire*. Cf. Virg. Ecl. 2, 43 a me illos *abducere-orat*. Æn. 6, 313 *Orantes* primi *transmittere* cursum.

(2) I. 4, 21 Nec *jurare time*.

(3) I. 14, 20 nec *timet* ostrino-*subire* toro. — Cf. Hor. Ep. I. 5, 2 Nec modica *cænare times* olus omne patella. — Ovid. Pont. 3, 1, 119 quid *adire times?*

(4) Cf. Madvig. §. 390.

(5) Sat. I. 4, 121 Sive *jubebat ut facerem* quid.

(6) Ecl. 5, 15 *jubebo ut certet* Amyntas.

(7) M. 4, 111 *jussi* nocte *venires*. 8, 792 sc in præcordia *condat-jube*. 11, 587 *jube* Ceycis imagine *mittat* somnia. Cf. Am. 1. 4, 29; 11, 19; Art. Am. I. 507; Fast. 4, 259.

jussit ipsum posito præmio. 3. 10, 22 *dormire* mater *natum jusserat.*

γ) Quam licenter poetæ cum infinitivo adjectiva nomina conjungant, qualia « doctus, indoctus, docilis, indocilis, patiens, impatiens, potens, impotens, bonus, utilis, etc. », neminen præterit (1). Imo nonnulli eorum, qui post Augusti tempora prosa oratione sunt locuti (2), eamdem licentiam sæpius admiserunt. Cujus vitiosæ locutionis ne unum quidem exemplum apud Phædrum reperias.

δ) Quid, quod post ea verba, quibus inest notio *permittendi*, qualia « dare, donare, tradere, dedere, committere », æquales Phædro scriptores, interdum etiam priores (3) infinitivum modum adhibent, Phædrus autem, ut optimus quisque scriptor, participio in-*dus* desinente utitur ?

I. 14, 16 Cui *calceandos* nemo *commisit* pedes.
31, 1 Qui se *committit* homini *tutandum* improbo.

ε) Quid, quod æquales Phædro poetæ ipsique prosæ orationis scriptores cum verbis motum indi-

---

(1) Cf. Dræger 2. p. 370, sq.

(2) Exemplo sit Valerius Maximus : 4. 6 præf. *cognosci utilia*. 6. 8, 5 *arduum dignosci*. 7. 3, 6 *regi difficilis* (gens).

Exemplo sit quoque Vitruvius : 6. 1, p. 135 *timidiores* ferro *resistere*.

(3) Virg. Æn. I. 65 tibi et *mulcere dedit* fluctus et *tollere* vento. 523 novam cui *condere* Jupiter urbem-*dedit*. Cf. 5, 247. 307 etc....

Hor. Sat. 2. 3, 191 Di tibi *dent* classem *deducere*.

Ovid. M. 5, 619 cui sæpe *dedisti ferre* tuos arcus. Trist. 3. 5, 21 Di tibi *tribuant defendere* semper.

cantibus infinitivum modum (1), Phædrus autem, quod quidem bonæ latinitati convenit, supinum semper conjungit?

I. 16, 1 Fraudator homines cum *advocat sponsum* improbos.
2. 4, 14 Simul *exieris pastum.* 4. 18, 1-2 Canes legatos olim *misere* ad Jovem Melioris vitæ tempus *oratum* suæ.

ζ) Non admodum pura est Phædri oratio, cum in ea, quæ infinitiva vocatur, verborum comprehensione personale aut demonstrativum pronomen, quod fungitur *subjecti* partibus, omittitur :

I. 6, 8 Cogit (sol) miseras arida sede emori (= *nos* emori).
4. 18, 31 Non veto dimitti, verum cruciari fame (= *eos* dimitti).
3. 3, 7 Pertinere ad domini respondet caput (= *hoc* pertinere).
5. Pr, 3 Auctoritatis esse scito gratia (= *hoc* esse).
9, 5 Qui doctiorem emendat, sibi dici putet (= *hoc* dici).

Illa vero subjecti ellipsis, ut parum sano sermoni consentanea est, ita sæpius vel apud bonos scriptores (2) occurrit.

Præterea non sicut plurimi æqualium usque eo Noster procedit, ut, cum idem sit *subjectum* infinitivi et verbi regentis, infinitivo solo utatur atque infinitivi prædicatum in nominativo casu adhibeat.

---

(1) Virg. Æn. 1. 527 *populare* penates *Venimus.* — Prop. 1. 6, 33 Seu pedibus terras seu pontum *carpere* remis *Ibis.* — 20, 23 *processerat* — *quærere* fontis aquam. 3. 8 [16], 17 *mittit* me *quærere* gemmas.

Ovid. M. 5, 660 rursusque per aera *misit* (al. lect : jussit) — sacros *agitare* jugales. Her. 1. 37 te *quærere misso* (al. lect : jusso).

Val. Max. 5. 1 ext. 1 quis illam *osculari* non *curreret* ?

(2) Madvig lat. Sprach. § 401. Dræger hist. Synt. 2. § 454.

Non enim, ut Propertius Ovidiusque, latine pessime dicet.

Prop. 2. 1, 8 *Gaudet* laudatis *ire superba* comis
Ov. a. a. 1, 345 ... *gaudent esse rogatæ*,

sed, quod puri est sermonis, ita eloquetur

I. 13, 1 Qui *se laudari* gaudet. Cf. 2. 7, 11 *me contemptum* gaudeo.

Non, ut Propertius,

3. 20 [25], 19 ... *peccasse fatetur Læsus* ... Cf. Virg. Æn. 12, 568 (1),

sed, grammaticæ legibus inserviens, dicet :

3. Pr, 43 Dignum faterer *esse me* tantis malis.

B. — DE SUBJUNCTIVO MODO

In ea re quoque magis emendate quam æquales Noster loquitur, quod illi pro indicativo subjunctivum modum, pro subjunctivo indicativum sæpius usurpant, ipse autem suam cuique modo vim propriam ubique servat.

a) Nempe in obliqua interrogatione non, ut fieri solet, conjunctivum modum sed indicativum Vir-

---

(1) Cf. Ovid. M. 13, 141 *rettulit* Ajax *Esse* Jovis *pronepos.* 13, 314 *Esse reus merui.* Vellej. 2. 76, 4 parum *habebat* summa accepisse et *proximus* a Pompeio — *consul creatus esse.*

gilius (1) primum, deinde Tibullus (2) Propertius (3) sæpius usurpant. Imo vel in prosæ orationis scriptoribus, ut Valerio Maximo (4) et Vitruvio (5), idem interdum reprehendas.

Quam orationis pravitatem Phædrum evitasse hæc sola, e Phædri opere excepta, satis comprobabunt exempla :

QUIS. — 3. 2, 17 memini *quis* me saxo *petierit*. 13, 14 Apertum est *quis* non *possit* et *quis fecerit*. Epil. 32 *qui sint*, requires. 5. 2, 7 (sentiat) *quos attemptarit*.

QUALIS. — 5. 5, 38 En hic declarat *quales sitis* judices !

AN. — 1. 23, 4 tentans *an* cibo *posset* capi. 24, 5 Interrogavit *an* bove *esset* latior. 4. 9, 6 rogavit *esset an* dulcis liquor, etc., etc...

β) Tum quoque a sincera latinitate deflectunt qui Phædri ætate, imo ante ejus ætatem scripserunt, cum conjunctionem *dum* [= interea dum] cum subjunctivo modo efferunt : quod non modo apud Tibul-

---

(1) Æn. 6, 614 ne quære doceri — *Quæ* forma viros fortunave *mersit*.

(2) 2. 4, 17 Nec refero *qualis* — versis Luna *recurrit* equis.

(3) 1. 2, 9 Aspice *quo submittit* (Mueller : submittat) humus formosa colores.

Alibi subjunctivus juxta indicativum invenitur, ut in his versibus : 3. 8 [16], 29 Aspice quid donis Eriphyla *invenit* amaris *Arserit* et quantis nupta Creusa malis. 28 [30], 29 (canere) ut Semela *est* combustus, ut *est* deperditus Io, Denique ut ad Trojæ tecta *volarit* avis.

(4) 4. 3 præf. referendum est quantopere — summoti *sunt*. 5. 7, ext. 1 jam patebit quam multa — *superavit* [Car. Halm : superaverit). 8. 1, præf. recordemur quibus de causis aut absoluti *sunt* aut damnati. Cf. 8, 11. præf.

(5) 2. præf. pag. 33 quemadmodum ab his *sum* institutus exponam.

lum (1), Ovidium (2), Valerium Maximum (3), verum etiam apud Virgilium (4) Liviumque (5) invenitur.

Phædrus autem boni sermonis legibus obsequitur, qui indicativum adhibuerit :

I. 9, 6 *Dum loquitur*, ipsum accipiter rapit. 11, 9 Quæ *dum* paventes exitus notos *petunt*, — adfliguntur. 12, 5 *Dum Laudat* cornua — subito conterritus. 13, 9 *Dum vult* vocem ostendere — emisit caseum. 24, 1 *dum vult* imitari, perit. Cf. 27, 7; 31, 2; 3. 7, 15; 4. 4, 2.

Hic locus qui a nonnullis admittitur

I. 4, 2 Canis per flumen carnem *dum ferret* natans

ita insolitus est ut eum rejiciendum judicaverim : nempe pro « *dum* ». Scheffer recte conjicit « *cum* », quod habet Anonymus.

γ) Denique ut Ovidius (6) Tibullus (7) ipsique prosæ orationis scriptores Vellejus (8) Valerius

---

(1) 2. 3, 19 *caneret dum* valle sub alta.

(2) Pont. 3. 3 3 *dum — referam* (al. lect : refero).

(3) 3. 3, 2 *dum* legationis officio *fungeretur*, a rege Gentio interceptus. 9. 12, 7 *dum* sententiæ *diriberentur* — conscendit.

(4) G. 4, 457 illa *dum* te *fugeret* — non vidit. Æn. 10, 799 socii sequuntur, *dum — abiret*.

(5) Plurima exempla Dræger indicat 2. p. 609. Cf. O. Riemann. p. 223.

(6) Am. 3. 9, 68 Et *sit* humus cineri *non* onerosa tuo.

(7) 2. 1, 9 *non audeat* ulla Lanificam pensis imposuisse manum.

(8) Vellej. I. 13, 5 *non* tamen *dubites* quin... 2, 12, 6 *non* hujus consulatus *fraudetur* gloria. 26, 3 *non perdat* gloriam. 86, 3 *non prætereatur* Asinii Pollionis factum.

Maximus (1) Vitruvius (2), negatione « *non* » cum subjunctivo modo ad aliquid prohibendum insolentius usi sunt, ita Phædrus imperativum « *noli* » aut « *absiste* » cum infinitivo jure adhibuit :

I. 25, 7 *noli* vereri. Cf. 2. 3, 4 ; 3. 18, 14 ; 4. 7, 23.
3. 2, 18 vos timere *absistite*.

(9) Hæc loca Dræger indicat : 4. 3. ext. 4 *non obstes*. 5. 3. ext. 3 *non vacent*.
(10) 6. 1 (p. 138) *non dubitemus*.
Cf. de illa vitiosa dicendi ratione : Quint. 1. 5, 50.

CAPUT V

DE CONJUNCTIVIS PARTICULIS

Nunc ad conjunctivas particulas veniamus, et eas, ut supra diximus, quibus cum *præcipua subjecta* verborum comprehensio connectitur, et eas quibus ejusdem generis verborum continuationes inter se copulantur.

I

a) Recedit quidem Phædrus a sincera lingua, cum in ea, quæ simplex est, interrogatione obliqua non « *ne, num* », sed « *an* » particulam usurpat :

I. 24, 5 Interrogavit *an* bove esset latior. 4. 9, 6 Simul rogavit *an* esset dulcis liquor.

Sed quod in Phædro reprehendimus, idem et apud æquales, ut Ovidium (1) Valeriumque Maximum (2),

---

(1) M. I. 537 in ambiguo est *an* sit comprensus. 3. 346 consultus *an* esset visurus. 4, 132 hæret *an* hæc sit. 6. 208 *an* dea sim dubitor. Cf. 10, 27. 221. 254. 676. 697.

(2) 2. 2, 4 experiri volui *an* scires. 3. 2 ext. 5 *an* fusi hostes forent, interrogavit. 5. 1 ext. 3 percontabatur *an* ea dixissent. 8. 5, 6 *an* — pertineat, ipsi æstimabitis. 9. 10 ext. 2 *an* — absumpserit, ambiguæ æstimationis est.

et apud priores, præsertim Livium (1), reperias. Adde quod non, ut plurimi priorum, Livius (2), Horatius (3), Virgilius (4), plurimique æqualium, Ovidius (5), Propertius (6), Vitruvius (7) conjunctionem « *si* » in obliqua interrogatione adhibuit.

β) In ea, quæ duobus e membris componitur, interrogatione obliqua, quam sæpe, quam varie æquales Phædro scriptores deliquerunt ! Nempe modo post alterum interrogationis membrum particula « *ne* » ponitur, quod quidem apud Vellejum (8) et Ovidium (9) invenias ; modo post unum quodque membrum eadem particula repetitur, quod ut apud æquales Nostro scriptores, Tibullum (10)

---

(1) 8. 24, 11 susbtitit dubius *an* transiret. 35, 4 quæ in discrimine fuerunt *an* ulla essent. 31. 48, 6 *an* — gessisset censebant spectare senatum debere. — De reliquis exemplis cf. Dræger. 2. p. 488.

(2) 29. 25, 8 ab iis quæsivit *si* aquam — imposuissent. 39, 50, 7 quæsisse *si* incolumis Lycortas — equitesque evasissent. 40. 49, 6 quæsivit *si* liceret.

(3) Epit. I. 6, 41 *si* posset — rogatus. Cf. 7, 38.

(4) Æn. 4, 110 incerta feror — *si* Jupiter velit.

(5) M. 11, 693 quærit — vestigia *si* qua supersint.

(6) 3. 27 [29], 23 volui *si* sola quiesceret illa Visere.

(7) 7 præf. p. 156 quæsiit *si* quem novissent. — 7. 1 p. 162 quæratur *si* sit perpetuo solidum.

(8) 2. 40, 1 Pompeii militia gloriæ laboris*ne* majoris, incertum est. 90, 3 dijudicari non potuerit Hispanis Romanis*ne* in armis plus esset roboris.

(9) M. 1. 578 nescia gratentur consolentur*ne* parentem. 5. 167 dubius dextra læva*ne* feratur. Cf. 6. 329 ; 8, 44. 635 ; 9, 147 ; 10, 563 ; 13, 756.

(10) 4. 5, 20 Quid refert clam*ne* palam*ne* roget.

Ovidiumque (1), ita vel apud priores, Virgilium (2) et Horatium (3), observetur.

Sunt etiam alii, in primis Tibullus (4) et Celsus (5), qui ante utrumque interrogationis membrum particulam « *an* » iterent.

Omnia illa sermonis vitia Noster refugit, quippe qui secundum puræ latinitatis legem ante secundum demum interrogationis membrum conjunctionem « *an* » adhibeat :

3. 15, 10 Unde illa scivit, niger *an* albus nascerer ?

γ) Non hoc crimini Phædro dandum esse mihi videtur, si post adverbium « *simul* » conjunctiones « *ac, atque* » frequentius reciderit (6) : nempe brevis illa et expedita locutio apud optimum quemque scriptorem non modo cum perfecto historico (7),

---

(1) M. 3. 256 culpet*ne* probet*ne*. 13, 912 monstrum*ne* deus*ne* Ille sit ignorans. 15, 503 Indicii*ne* metu magis offensa*ne* repulsæ.

(2) Æn. 1. 308 Qui teneant — homines*ne* feræ*ne*. 5, 95 Incertus genium*ne* loci famulum*ne* parentis Esse putet. Cf. 702; 12, 321.

(3) Ep. I. 15, 15 Collectos*ne* bibant imbres puteos*ne* perennes. Cf. a. p. 117 Mercator*ne* vagus cultor*ne* virentis agelli.

(4) 3. 1, 20 (si nostri mutua cura est) *an* minor *an* toto pectore deciderim.

(5) 3, 6 videndum est — *an* adstrictum corpus sit *an* profluat. Cf. Virg. Æn. 10, 680-83 fluctuat *an* sese mucrone — induat — fluctibus *an* jaciat mediis.

(6) 3. 10, 29 *simul adspexit* filium, — repræsentavit in se poenam. 14, 3 quod *sensit simul*, — arcum retensum posuit. Cf. 16, 16 ; 4. 20, 5 ; 5. 5, 19 ; 2. 4, 14 nam *simul exieris* pastum — aquila est parata rapere porcellos. 4. 5, 10 tum *simul* habere res *desierint*.

(7) Cic. fin. 3. 6, 21 *simul* autem *cepit*. Cf. att. 3. 18, 1 ;

sed etiam, quod minus frequens est, cum futuro (1) adhibetur.

δ) Non hoc magis vitio vertendum est Phædro, quod pro illa, quam apud bonos scriptores usitatam videmus, locutione « *vix... cum* » particulam solam « *vix* » usurpaverit :

4. 25, 28 Unum promorat *vix* pedem triclinio,
Ruina camaræ subito oppressit ceteros !

Cujus rei multa exempla apud Terentium (2), Ovidium (3), imo vel apud Ciceronem (4), certe in familiaribus epistolis, inveniuntur.

II

Restat ut de particulis eis loquamur, quibus ejusdem ordinis verborum continuationes inter se copulantur.

α) Hoc in plurimis eorum, qui Phædri ætate scripserunt, reprehendas, duas voces membrave

---

fam. 6. 18, 1. — Cæs. b. g. 4. 26 *simul* in arido *constiterunt*. B. C. 1 30 *simul* — *audierunt*.

(1) Afran. ap. Non. p. 114, 21 *simul* limen *intrabo*, illi extrabunt illico. Cic. Att. 8. 11, 7 *simul* aliquid *audiero*, scribam ad te. Liv. 26. 43, 4 *simul* — *erunt*, tradent.

(2) Phorm. 594. *Vix*dum dimidium dixeram : intellexerat.

(3) M. 2, 47 *Vix* bene desierat, currus rogat ille paternos. 3, 14 *Vix* bene Castalio Cadmus descenderat antro, Incustoditam — videt ire juvencam. 8, 142 *vix* dixerat, insilit undis. Cf. 11, 260 ; 14, 753.

(4) Ad Att. 2. 15, 3 *vix*dum plane ingemueram : salve, inquit Arrius.

ejusdem ordinis per *que* — *et* (1) nonnunquam aut, quod non minus vitiosum est, per *que* — *que* (2) particulas conjungi. Ideo vero Phædrus scriptoribus optimis similis est, quod ante unumquodque vocabulum membrumve conjunctionem « *et* » iterat (Cf. Madvig. § 435) :

I. 25, 2 Consilia qui dant prava cautis hominibus *Et* perdunt operam *et* deridentur turpiter. 3. 4, 6 *et* formosos sæpe inveni pessimos *Et* turpi facie multos cognovi optimos. 4. 7, 12 *et* superbi luget — *et* regna...

β) Cum ejusdem ordinis tria membra vocesve aut plura tribus continuantur, hæc est bonorum scriptorum consuetudo, ut aut membra illa vocesque eadem conjunctione « et » connectant aut, demptis conjunctionibus, ea singula enuntient (3). Quam

---

(1) Tib. I. 1, 35 Hic ego pastorem*que* meum lustrare quotannis *Et* placidam — spargere lacte Palem. 3, 25 pure*que* lavari — *Et* puro secubuisse toro. 9, 69-70 auro*que* lacertos Vinciat *et* prodeat. 10, 43 liceat*que* caput candescere canis Temporis *et* prisci facta referre.

Ovid. M. I. 29-30 elementa*que* grandia traxit *Et* pressa est gravitate sui. 4. 147 vestem*que* suam cognovit *et* — vidit. 5, 616 sonitus*que* pedum terrebat *et* ingens... 7, 541 lanæ*que* cadunt *et* corpora tabent.

Vellej. 2. 3, 1 privatus*que* *et* togatus. 77, 1 cum in navi Cæsarem*que* *et* Antonium exciperet.

Vitr. 2. 1 p. 34 mundi*que* *et* astrorum. 5. 1 p. 104 crebris*que* columnis *et* lapideis aut marmoreis epistyliis.

(2) Frequentissime apud poetas inveniuntur hæ particulæ ; minus frequenter apud prosæ orationis scriptores. Hæc tamen exempla e Vellejo excepi : Vellej. 2. 113, 1 qui*que* sub Cæsare fuerant qui*que* ad eum venerant. 1. 12 eam*que* urbem magis invidia sustulit fecit*que* suæ virtutis monumentum.

(3) Madvig. Lat. Sprach. § 434. Dræger hist. Synt. 2. 1. sq.

contra legem jam Livium peccavisse docet O. Riemann (1); magis etiam peccaverunt non solum æquales Phædro poetæ, sed etiam ei qui eadem ætate prosa oratione sunt locuti (2). Prædrus autem eidem grammaticæ legi diligentissime obsecutus est, qui aut ante singula membra vocesque conjunctionem « et » repetat, ut in his locis

I. 5, 3 Vacca *et* Capella *et* patiens Ovis injuriæ. 4. 5, 34 Domum *et* ornamenta cum venustis hortulis *Et* vina vetera date (3).

aut omnem demat conjunctionem, ut in his versibus :

4. 5, 21-22 Seponit moechæ vestem, mundum muliebrem, Lavationem argenteam, eunuchos, glabros. — 22, 23 veste, nummis, familia Hominem exornavit, 5. 5, 13 solus constitit,

---

(1) Etude sur la lang. et la gram. de T. Live. p. 211-212.

(2) Val. Max. I. 1, 15 matres *ac* filiæ conjuges*que* *et* sorores nuper interfectorum abstersis lacrimis depositis*que*... 5. 9, 4 solitudinem sanguine meliorem pacatiores*que* penatibus sylvas *et* alimentis blandius ferrum *ac* mortis oblatæ quam datæ vitæ felicius beneficium. 5. 10, ext. 2 Xenophontis corpus immobile stetit *et* animus — stabilis mansit *ac* dolori succumbere...

Vellej. I. 10 Mandata*que* exposuit *et* regem — circumscripsit jussit*que*. 17. *et* nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit, natura*que* — ascendit difficilis*que* in perfecto mora est, naturaliter*que* — recedit, *et*... 2. 3 tum optimates, senatus *atque* equestris ordinis pars melior et major *et* intacta perniciosis consiliis plebs.

Vitruv. 2 præf. p. 31 vestimenta posuit in hospitio *et* oleo corpus perunxit caput*que* coronavit | lævum humerum pelle leonina texit dextra*que* clavam tenens incessit. 5 præf. p. 103 poematorum metra *et* pedes *ac* verborum elegans dispositio *et* sententiarum...

(3) Ita arctis vinculis « hortulis » cum « ornamenta » conjungitur, ut e duobus illis vocabulis quasi unum confletur.

Sine apparatu, nullis adjutoribus. 8, 1-2 Cursu volucri, pendens in novacula, Calvus, comosa fronte, nudo occipitio.

2. 4, 1-3 Aquila in sublimi quercu nidum fecerat; Feles cavernam nacta in media pepererat; Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat. — 3. Pr, 10-14 Legesne, quæso, potius viles nenias, Impendas curam quam rei domesticæ, Reddas amicis tempora, uxori vaces, Animum relaxes, otium des corpori. Cf. 7, 21-22; 4. 18, 20-21; 22, 16-17; 24, 4-5.

Evenit quidem nonnunquam ut Phædrus cum ceteris membris vocibusve ultimam vocem aut ultimum membrum per « et » conjunctionem copulet :

4. 5, 23-24 Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios, Boves, jumenta *et* instrumentum rusticum. 25-26 Potrici plenam antiquis apothecam cadis, Domum politam *et* delicatos hortulos. Cf. 36; 3. 2, 12-14.

Sed vel apud optimos scriptores idem invenias : quid mirum ? nempe in ejusmodi verborum aut membrorum continuationibus duo demum membra vocesque, ut prudentissime Dræger observat (1), inter se copulantur : sic, ut exemplo utar, solum duo membra in hoc, qui supra memoratus est, loco reperio: 1° agellos, pecora, villam, operarios, boves, jumenta; 2° instrumentum rusticum.

Imo hic versus

4. 5, 38 Agros villam*que et* pecora cum pastoribus

duo demum membra continet, cum *agros villam* per « que », *pecora pastoribus* per « cum » arctissimis vinculis cohæreant.

---

(1) Hist. Synt. § 367.

In hoc solo loco

3. 17, 2-4 ... quercus Jovi *Et* Myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea, Pinus Cybebæ, populus celsa Herculi

a bonorum scriptorum usu recessisse Phædrus videtur, qui, postquam prima enumerationis vocabula conjunctione « et » copulaverit, cetera, nescio quare, ex omni exsolverit conjunctione.

γ) Tum vero puræ latinitati inservit, cum, ad duas verborum continuationes alteram alteri opponendas, non ut Ovidius « sive... ve » (1), aut Vitruvius « sive... aut » (2), sed « sive... sive » particulas adhibet :

4. 21, 7 *Sive* hoc ineptum *sive* laudandum est opus.

δ) Hoc neminem fallit, cum vocabula negativa, qualia *nullus*, *nemo*, *nunquam*, cum conjunctione « et » copulentur, negationem a negativo vocabulo in conjunctionem transire. Ita demum ante negationem conjunctio collocari potest, si ad unum sequentium verborum negatio potissimum pertineat. Cui grammaticæ legi ubique Phædrus obsecutus est; eamdem sæpius æquales violaverunt.

---

(1) Fast. 5, 685 *Sive* deum prudens alium diva*mve* fefelli.

(2) I. 2, p. 12 *seu* consuetudine *aut* natura. 3. Præf. p. 64 *aut* imbecillitas fortunæ *seu* — superatio. 7. 1 p. 164 contignationes humore crescentes *aut* siccitate decrescentes *seu* pandationibus sidentes, etc., etc... Cf. Virg. Æn. 12, 685 *seu* turbidus imber proluit *aut*...

Nempe non ut Propertius (1), Ovidius (2), Valerius Maximus (3) « *nullusque, et nullus, et nemo* » dicit, sed « *nec ullus* »

2. 6, 6 *Nec ullo* pacto lædi posset. 4. 25, 30 *Nec ulli* juvenes sunt reperti.

Non, ut Ovidius (4) et Valerius Maximus (5), « *et nihil* » sed ubique « *nec quidquam* » adhibet :

2. Pr. 2 *Nec* aliud *quidquam* quæritur. 2. 8, 14 *Nec* ille *quidquam* sentit. 3. 12, 7 *Nec* mihi *quidquam* potest. Cf. 4. 20, 13.

Denique non, ut Valerius Maximus, « *ac nunquam* » (6) sed « *nec unquam* » dicit :

4. 7, 6 *Nec unquam* Pelii nemoris jugo...

---

(1) I. 17, 12 Ossa*que nulla* tuo nostra tenere sinu.

(2) M. 12, 45 Addidit, *et nullis* inclusit limina portis. Her. 16 [17], 18 *Et* laudem de me *nullus* adulter habet. 17 [18], 79 *Nullaque* vox unquam, nullum veniebat — murmur. Fast. 6, 118 Et latet *et nullo* est invenienda modo.

(3) 6. 3, 4 cum dilectum subito edicere coactus esset *et* juniorum *nemo* respondisset.

(4) M. 5, 437 restat*que nihil*, quod prendere possis.

(5) 6. 5 præf. cupiditas rationi cedit *nihilque* utile, quod parum honestum videri possit, ducitur.

(6) 9. 3 præf. uterque consternationis plenus affectus *ac nunquam* sine tormento sui violentus.

CONCLUSIO

Quæ in hoc opusculo tractanda nobis proposueramus, tempus est recolligere.

Aliquot insolita et parum latina vocabula apud Phædrum deprehendimus; sed eorum pleraque in eis locis esse observavimus, ubi omnino dubii codices videantur.

De genere numeroque, declinatione ac conjugatione verborum, nonnulla quidem notavimus quæ non omnino sano sermoni consentanea sunt; sed eadem vel apud eos qui « jus et norma loquendi » putantur, reperimus.

Singulis verbis contra bonorum scriptorum consuetudinem interdum Phædrus utitur : nempe et abstracta nomina pro concretis et adjectiva pro substantivis nominibus et simplicia pro compositis verbis frequentius ac liberius adhibet; idem cum infinitivo passivo non « cœptus sum » sed « cœpi » conjungit : omnia vero illa non modo apud æquales, sed etiam apud priores invenimus. Imo ubi

sæpe æquales delinqunt, ibi Phædrus ab omni vitio loquendi immunis est : sic, ut cetera omittam, in hoc puri sermonis magis studiosus æqualibus videtur, quod non, ut eorum plerique, verba intransitiva transitive usurpat neque participio nonnullorum deponentium verborum passivam impertit significationem.

Quod ad casus attinet, aliqua delicta animadvertimus : sic verbum « rogare », vel cum postulata res quolibet nomine enuntiatur, cum duobus accusativis conjungit; verbo « vesci » intransitivisque verbis, e præpositione compositis, accusativum adjungit; tum ablativo solo sine præpositionibus « in, a, e, de » utitur ad locos et ubi est aliquis et unde quis recedit designandos : sed omnia illa apud plerosque eorum, qui ante Phædri tempora scripserunt, reperiuntur. Adde quod multa sunt eloquendi vitia apud æquales ac priores, quæ ne semel quidem apud Phædrum apparent : nempe non ut scriptores illi ita Noster verbis intransitivis, cum simplicia sunt, accusativum adjungit; neque post verba motum indicantia dativum adhibet; neque neutrius generis adjectiva cum genitivo partitivo usurpat; neque contra illum, qui *absolutus* vocatur, ablativum quidquam delinquit.

Verborum temporibus alii æqualium Phædro scriptorum aliter vitiose utuntur, qui non modo in compluribus ejusdem ordinis verborum comprehensionibus varient tempora, sed etiam, cum in præcipua verborum continuatione sit futurum tempus, præsens post « si » usurpent. Quæ ne semel quidem in Phædro reprehendas.

Liberius quidem et insolentius quam bonos scriptores infinitivo modo Phædrum usum esse ostendimus : sed eadem non solum apud æquales, verum etiam interdum apud priores reperimus. Quin etiam sæpius Phædrum pure et emendate loqui vidimus, ubi æquales a sincera latinitate omnino recedant, quippe qui et infinitivum modum post adjectiva nomina atque ea verba quæ permittendi notionem motumque indicant, et indicativum modum in obliqua interrogatione insolentius adhibeant.

Quod ad particulas eas spectat, quibus cum *præcipua subjecta* verborum comprehensio conjungitur, in hoc quidem esse parum latinum Phædri sermonem diximus, quod in interrogatione simplice non « ne, num » sed « an » usurpaverit; idem vero vel apud priores occurrere animadvertimus; tum non usque eo Phædrum progredi, ut aut in simplice interrogatione particulam « si » aut in *disjunctiva* « ne — ne; an — an » particulas efferat.

Particulis denique eis, quibus complures ejusdem ordinis verborum comprehensiones inter se copulantur, sæpius æquales, semel autem Phædrum vitiose usum esse probavimus.

Quid plura ? Quandoquidem nihil est in Phædri oratione vitiosum quod non apud æquales reperiatur, multa vero sunt apud eos mendosa quæ nusquam in Phædro reprehendas, puriorem æqualibus et emendatiorem eum habendum esse, jam manifesto apparet.

DE TRIGINTA NOVIS FABULIS APPENDIX

Tres demum Phædri fabularum codices, Pithœanus, Remensis, tum ille, cui « vetus Danielis chartula » nomen inditum est, usque ad decimi octavi seculi principium noti erant : anno autem M D CC XXVII juvenis quidam a Batavia ortus, multis et præclaris virtutibus instructus, Philippus d'Orville, dum in Italia iter facit, in Parmensi quadam bibliotheca codicem novum detexit, in quo non modo triginta duæ fabulæ jam notæ, sed triginta novæ et inauditæ continebantur (1) Hunc codicem (2) sua ipse manu, qualis erat, transcripsit transcriptumque optimo suo magistro, Burmanno, misit. Cum autem ille codex, cujus exemplar d'Orville transcripserat, valde truncus esset ac mutilatus, multæque litteræ aut vetustate aut humore aut denique alia causa partim obscuratæ essent, partim omnino essent deletæ, fabulas novas Burmannus rejecit neque

(1) Vide : « Les Fabulistes latins depuis le siècle d'Auguste jusqu'à la fin du moyen âge, par Léopold Hervieux », Firmin Didot, 1884, I. p. 106, sq.

(2) Epitome Fabellarum Æsopi, Avieni et Phædri ad Pyrrhum Perottum, adolescentem suavissimum.

Phædri Fabularum quinque libris, quos eo tempore recognoverat (1), voluit inserere. Exemplar vero illud, cujus auctor fuerat Philippus d'Orville, haud ita multo post evanuit : quod quidem eo gravius et luctuosius erat, quod jam nemini, ubi detecta esset Perotti *Epitome*, notum erat. Tandem repertum est illud opusculum non Parmæ quidem, sed Neapoli quo, post illas rerum mutationes quibus Italia perturbata erat, simul cum multis aliis libris translatum erat (2).

Vix autem triginta illæ fabulæ, postquam ex hominum memoria tamdiu exciderant, tandem a tenebris et oblivione, doctorum virorum (3) gratia, revocatæ sunt, cum inter litteratos homines magnæ longæque coortæ sunt controversiæ. Fuerunt, inter quos præcipue Adry (4), Jacobs (5), Fleutelot (6) nominaverim, qui novarum fabellarum Phædrum auctorem esse negaverint et alii scriptori, quem quidem non possent nominare, eas adscripserint. Multi vero, e quibus excellentissimi fuerunt Jan-

---

(1) Phædri Augusti Liberti Fabularum Æsopiarum libri V. Cum novo commentario Petri Burmanni. Leidæ. Apud Samuelem Luchtmanns. M D CC XXVII.

(2) Vide : Nouvelles fables de Phèdre, traduites en vers italiens par M. Petronj et en prose française par M. Bagioli avec les notes latines de l'édition originale et précédées d'une préface française par M. Ginguené, membre de l'Institut impérial de France. Paris. Didot. 1812, préf. p. 15.

(3) Abbas ille doctissimus Andrès, neapolitanæ bibliothecæ præses, Perottinum codicem videtur detexisse (Léop. Hervieux. p. 110, sq.).

(4) Examen des nouvelles Fables, Paris, 1812.

(5) Allgemeine Schulzeitung, 1832. vol. 66-67.

(6) Nisardi coll. p. 707.

nelli (1), Orelli (2), Dressler (3), Dübner (4), L. Mueller (5), eam inter veteres atque novas fabulas similitudinem et quasi cognationem observaverunt, ut neminem præter Phædrum illas scripsisse existimaverint. Alii denique viri, inter quos Gail (6) et Angelo Mai (7), ita in ancipiti re prudentes fuerunt, ut neque horum neque illorum sententiam secuti sint, sed potius in neutris se tenuerint partibus.

Multa sane argumenta nec levia protulerunt ii qui novarum fabellarum auctorem esse Phædrum putaverunt. Sic, ne omnia ea, quibus confirmatur eorum opinio, commemorem, e primo Phædri fabularum libro quædam excidisse suspicati sunt, cum in eo libro (8) arbores ipsas colloqui Phædrus præmoneat, neque quodquam ejus rei vestigium in toto libro reperiatur; tum adeo paucas esse dixerunt secundi quintique voluminis fabellas, ut ipsa pau-

---

(1) Lege tres illas Jannelli dissertationes, quarum breviarium L. Hervieux in opere suo dedit. I. p. 174, sq.

(2) Phædri Augusti Liberti fabulæ Æsopiæ, Turici, 1831, præf. p. 21.

(3) Phædri Aug. Liberti fabulæ Æsopiæ cum veteres tum novæ atque restitutæ. 1838.

(4) Fables de Phèdre tant anciennes que nouvelles. F. Didot 1852.

(5) Phædri Aug. Lib. Fabulæ Æsopiæ. Lipsiæ. 1883. præf. p. 6.

(6) Phædri fab. Æsop. libri V. Parisiis, Lemaire. Vide secundum volumen, p. 497.

(7) Phædri fab. — Nisardi coll. 1843. p. 708.

(8) I. Pr, 5-6 Calumniari si quis autem voluerit Quod *et arbores loquantur....*

citate multa ibi deficere appareat. Hoc vero longe gravissimum observaverunt, inter omnes illas Phædri fabulas, quæ a Romulis et anonymo quodam *(Nilantianum* vulgo eum nuncupant) in pedestrem resolutæ sint sermonem, octo fabulas novas repertas esse : unde consequitur ut ex eodem fonte novæ veteresque fabulæ defluxisse videantur (1).

Sed inter multa illa et ex omni parte adscita argumenta, quod primum debebat occurrere neque minus ad faciendam fidem grave videbatur, nescio quo pacto, omnino deficit : nempe in nullius mentem venit et quo sermone et quo metri genere in antiquis fabulis Phædrus usus fuerit perspicere, tum considerare num eadem illa in fabulis novis reperiantur.

Quæ ibi desiderantur equidem enitar explere, eique rei studebo ut, sive orationem sive carminum rationes spectaveris, veteres et novas fabellas inter se simillimas esse palam appareat, neque, ut facete dixerit Lucianus Mueller, « ovum ovo similius » videri (2).

I. — DE DICENDI GENERE.

Ita dicendi genere similes sunt veteres ac novæ fabulæ, ut omnia ea quæ in illis observavimus in his quoque animadvertamus. Nempe sicut antiquas fabulas ita novas ideo possis merito reprehendere, quia plerumque sint frigidæ, exiles, jejunæ, non

---

(1) L. Hervieux I. p. 174, sq.
(2) Præf. p. 6.

satis personarum colloquiis recreatæ, omnia denique ea desint quæ lepidam ac festivam narrationem efficiant : quod in eis quæ « *Simius* et *Vulpes* » (1) « *Pastor* et *Capella* » (2) inscriptæ sunt fabulæ, observes : quæ ita breves sunt et adstrictæ ut illa e quinque, hæc e quatuor demum versibus constet.

Non plura poetica verba in fabulis novis quam in antiquis invenias, cum hæc sola « *coelites* 14, 33; *senecta* 24, 7 » in triginta novis fabulis viderim. Translata autem illa vocabula quæ, ut diximus, rem oculis subjiciunt, paucissima sunt, siquidem vix aliquot, qualia « *involvere* veritatem (5, 17), *succenditur* animus, *uritur* animus (13, 18-19); *vincire* animum *arctiore copula* (13, 24) » perlegenti triginta fabulas novas obvia mihi fuerunt.

Ut in fabulis illis quæ Phædro vulgo adscribuntur et comparationes istæ ridiculæ et insulsa ista antitheta, quibus æqualium opera sæpius inquinantur, omnino deficiunt, sic triginta illas, de quibus ambigitur, fabulas eisdem vitiis omnino vacare animadvertas.

Idcirco denique cum veteres tum novæ fabulæ commendantur quod et ita breve est dicendi genus ut unaquæque sententia semel exprimatur (3) ac

(1) Fab. 1.
(2) Fab. 22.
(3) In hoc solo versu bis eadem sententia enuntiatur :

13, 18-19 Correptus animus ilico succenditur
Et uritur sensim impotentis cupiditas.

ne unum quidem supervacaneum verbum possit eximi (1); — et, cum eadem res sæpius iteranda est, novis semper vocabulis enuntiatur (2); — et ita collocantur verba ut, particulis conjunctivis in intimum orationis recessum remotis, prima sedes magni ponderis nominibus plerumque reservetur (3).

II

I. — Ut in veteribus fabulis ita in novis paucissima sunt vocabula quæ non apud certos scriptores invenias, qualia « *exstillesco* » quod quidem apud

---

(1) Ut in veteribus fabulis multa adjectiva aut participia inveniuntur quæ non substantivi quidem personam gerant, sed quibus substantivum aut pronomen prius enuntiatum debeas adjungere (cf. p. 7. not. 2), sic et in fabulis novis eadem observes :

14, 1-2 Unam expetebant virginem juvenes duo : Vicit *locuples* genus et formam *pauperis* (juvenis). Ib. 6 villa *ditis* (juvenis) splendida. 16, 2 Hunc *gloriosum* (gallum) vulpes ut vidit vehi...

Brevitatis adeo studiosus est Phædrus ut verba, quæ nomen, quod eis adjungatur, desiderant, sæpius sola proferat (Cf. p. 7). Cujus generis sunt in fabulis novis :

14, 24 Deinde domino nuntiant [id.]. 15, 8 Immo ni dederis [id = quod in cultum impendis], sponda cessabit tua. 18, 12 Ullius essem culpæ mihi si conscius, æquo animo [id] ferrem.

(2) Exemplo sint : *defendere armis, ferro pellere* 6, 10; *correptus animus ilico succenditur Et uritur sensim impotentis cupiditas.*

(3) 11. 2 Jactantiorem *cum* vidisset Phryx sophus. — 3, 9 Barbatum *ut* videat natum. — 13, 8 Horum reliquias *ne* quis posset tollere. — 14, 4 Amans dolorem *quia* non poterat perpeti, etc., etc...

Phædrum solum legitur (8, 11) et « *meliusculus* » 15, 7, quod, postquam a veteribus comicis poetis, Terentio (1) Plautoque (2) adhibitum est, apud eos demum qui post Augusti ætatem scripserunt, Celsum (3), Columellam (4), rursus videtur apparere.

Sinceræ sunt latinitatis omnia illa in-*tor* desinentia nomina quæ in fabulis novis occurrunt (5); sed, quemadmodum in antiquis fabulis unum substantivum nomen in-*trix* finitum, *potrix* scilicet, parum latinum esse observavimus, sic in novis aliud est ejusdem generis vocabulum « *insidiatrix* » quod non minus insolitum videatur

« 27, 4 Sic *insidiatrix* : omnes muneribus licet...

Triginta fabulas novas perlegenti neque substantiva nova illa in-*men* desinentia occurrunt, neque adjectiva nova in-*bilis* finita : quæ in veteribus quoque fabulis deficiunt.

Ut in fabulis eis quæ vulgo Phædro adscribuntur, ita in eis de quibus ambigitur ne unum quidem est in-*ter* aut in-*e* (6) desinens adverbium, quod non apud optimum quemque scriptorem reperias.

---

(1) Hec. 3. 2, 19 Salvan' Philumena est ? Pam. *Meliuscula* est.

(2) Capt. 5. 2, 6 si eris verax, tua ex re facies : ex mala *meliusculam*. Id. Curc. 4. 2, 3 *meliusculum* est monere.

(3) 3, 22 qui *meliusculus* esse coepit.

(4) 9, 3 Apes coloris *meliusculi*.

(5) Victor 11, 1 ; pastor 22, 1 ; venator 26, 1.

(6) Hæc adverbia notavi : breviter 10, 5 ; festinanter 4, 12 ; molliter 8, 2 ; pariter 4, 16 ; suppliciter 3, 8 ; vehementer 7, 7. — assidue 10, 12 ; clare 18, 3 ; fracte 8, 2 ; honeste 1, 2 ; inepte 7, 2.

E quinque nominibus græcis quæ in novis fabulis occurrunt « *cinædus* 8, 3. 18; *gymnicus* 11, 1 ; *moecha* 3, 10 ; *sarcophagus* 13, 2 ; *sophus* 11, 2 » tria « *cinædus* » scilicet, « *moecha* », « *sophus* » jam in antiquis fabulis invenimus.

Denique ea re similes sunt inter se veteres ac novæ fabulæ, quod in his atque illis (1) hoc vocabulum « *sarcina* » nunc in singulari modo, nunc in plurali adhibetur :

Fab. Nov. « 8, 34 Nisi tu abstulisti *sarcinas* nuper meas
16, 5 Prædam portare, judices, non *sarcinam.* »

II. — Cum in antiquis tum in recentioribus apologis abstractum nomen pro concreto sæpius ac liberius usurpatur (2) : imo inter illam, quam in veteribus fabulis vidimus, locutionem « *colli longitudinem* » I. 8, 8 atque hanc, quæ in novis occurrit « *nasi longitudinem* » 3, 16 mirum est quanta sit similitudo.

In ea re Phædrum a pura latinitate recedere diximus, quod substantivi loco adjectiva nomina frequentius atque insolentius (3) adhibeat : idem in triginta novis fabulis reprehendas (4).

---

(1) Vide pag. 37.
(2) Vide p. 39, sq.
(3) Vide p. 42, sq.
(4) Exemplo sint hæc pluralis numeri adjectiva : avari 5, 8 ; miseri 6, 11 ; subdoli ib. 12 ; mali ib. 15 ; stulti 20, 7 ; inermes, fortes 24, 5.
Hæc autem singularis sunt numeri : volubilis 5, 2 ; sapiens, rudis ibid. 18 ; barbarus 8, 16, etc.,.

Ut in illis fabulis verbo simplici « *ligare* » (1), ita in his verbo « *figere* » dativus casus vitiose adjungitur.

« Virique corpus tradit *figendum cruci* » 13, 29.

Ubi autem in quinque veterum fabularum libris puræ latinitati propiorem Phædrum vidimus, ibi puram et emendatam orationem in fabulis novis invenimus. Etenim non magis in his quam in illis nomina abstracta in plurali numero insolentius usurpantur, neque verba e duabus ejusdem generis præpositionibus composita occurrunt, neque intransitiva verba efferuntur transitive, neque verborum deponentium participia contra bonæ latinitatis leges passive adhibentur.

III. — Ut in certis fabulis, ita in eis de quarum auctore inter litteratos viros non omnino constat, verbum « *rogare* » [= precari] cum duobus accusativis conjungitur :

1, 1 *Vulpem* rogabat *partem* caudæ Simius.
13, 12 *Aquam* rogavit media nocte *ancillulam*.

Non minus frequentia sunt in novis quam in veteribus fabulis intransitiva illa verba quæ, cum præpositio eis apposita est, omnino fiunt transitiva : imo hoc sane memorabile est, verborum eorum duo, quæ in antiquis fabulis invenerimus, in novis quoque occurrere :

(1) Cf. p. 46.

Decurrere. — 2, 13 Fatalis *annos decurramus* temporis. Cf. Fab. vet. 4. 1, 1 non *vitam* modo Tristem *decurrit.*

Excedere. — 3, 6 et jam *limen excedens.* Cf. Fab. vet. 3. Ep. 28 *Excedit* animus, quem proposuit, *terminum.*

Circumfluere. — 5, 8 Avari describuntur, *quos circumfluit* Usus bonorum.

Irrepere. — 26, 2 *Veprem irreperet.*

Ea esse verba transitiva aut intransitiva diximus quibus, si præpositio apponatur, hæc duplex dicendi ratio conveniat, ut aut eis dativus adjungatur aut post ea præpositio eadem iteretur. Quod vero in fabulis antiquis (1) animadvertimus, dativum verbis istius modi plerumque apud Phædrum adjungi, idem in novis quoque fabulis possumus animadvertere :

4, 16 *Fornaci* duo signa *intulit.* 13, 7 *Cruci suffixi* luerunt pœnas numini. Ib. 13 *Dominæ* tunc *adsistebat* suæ.

Ut in veteribus fabulis (2) ablativum solum ad locos et ubi fit aliqua res et unde disceditur designandos Phædrus adhibet, ita et in novis :

24, 4 fortis *proeliis.* 6, 4 mugit *adytis* Religio. 13, 2 *sarcophago* corpus condidit...

23, 6 Prædam dimisit *ore* serpens irritam.

Ideo Phædrum ab æqualium plerisque dissentire diximus, quod neque simplicibus verbis, motum indicantibus, dativum adjungat (3), neque partiti-

---

(1) Vide pag. 54.
(2) Vide pag. 61.
(3) Vide pag. 57.

vum genitivum cum neutrius generis adjectivis (1) construat, neque denique contra eum, qui absolutus vocatur, ablativum (2), quidquam delinquat : nihil eorum in fabulis novis reperias.

IV. — Hoc in fabulis certis (3) laudavimus non vitiose, cum complures ejusdem generis verborum comprehensiones continuentur, tempora verborum commutari : idem in fabulis eis, de quibus ambigitur, jure ac merito possis laudare : nempe in hisce versibus ubique præsens tempus adhibetur :

6, 3. sq. sacratæ vatis *horrescunt* comæ, Tripodes *moventur*, *mugit* adytis Religio *Tremunt*que lauri et ipse *pallescit* dies. — 13, 16, sq. miles *prospicit videt*que et ægram et facie pulchra feminam... ; animus *succenditur* et *uritur*... cupiditas.

In his autem locis præteritum tempus servatur :

3, 15, sq. *prendit* manu *Traxit*que ad terram nasi longitudinem et... ipsa ridenda *exstitit*. — 12, 1 sq. Asinus jacentem *vidit* in prato lyram; *Accessit* et *temptavit* chordas ungula.

Sicut in veteribus (4), ita et in novis fabulis futurum tempus post « si » ponitur, cum in *præcipua* verborum comprehensione futurum tempus adhibetur :

15, 6 Quidvis *efficies*, cultum *si deposueris*.
Ib. 8 *Ni dederis*, sponda *cessabit* tua.

---

(1) Vide pag. 58, sq.
(2) Vide pag. 64.
(3) Vide pag. 68, sq.
(4) Vide pag. 69.

Ut contra bonorum scriptorum morem post verba, qualia *causa*, *delector*, *merere* (1) Phædrus profert infinitivum, ita post adjectivum « *dignus* » in fabulis novis eumdem modum usurpat :

18, 4 Hoc *dignus appellari* nomine.

Ideo quoque veteres (2) ac novæ fabulæ pares videntur, quod in infinitiva verborum comprehensione pronomen, quod *subjecti* personam gerit, sæpius omittitur :

5, 15-16 Quo quis majorem possidet terræ locum, hoc demonstratur cura graviore [*eum*] affici. 9, 9 Permitte [*me*] scalpere. 16, 5 Prædam [*eos*] portare judices.

In antiquis fabulis Phædrus et *dum* [= interea dum] cum indicativo modo construit (3) et in interrogatione obliqua subjunctivum modum ubique adhibet (4); et post verba *movendi* non, ut plerique æqualium, infinitivo, sed, ut optimus quisque scriptor, supino (5) utitur; et verbum « *jubere* » non cum subjunctivo construit, sed, quod sinceræ latinitati magis consentaneum est, cum infinitiva verborum continuatione (6) : quæ omnia in eis, de quibus ambigitur, fabulis reperiri, hæc satis confirmabunt exempla :

α) DUM. — 4, 9 *Dum* tempus *habuit*, finxit manu. 29, 2 *dum vivebant* corpora — ego princeps fui.

---

(1) Cf. p. 70-71.
(2) Cf. p. 74.
(3) Cf. p. 76, sq.
(4) Cf. p. 76.
(5) Cf. p. 74.
(6) Cf. p. 72.

β) Obliq. int. — 6, 1 Utilius nobis *quid sit*, dic, Phoebe. — 24, 6 Scio *quem lacessam*, *cui* dolosa *blandiar*. 29, 10 Non *qui fuerimus*, sed *qui* nunc *simus*, vide.

γ) Sup. — 13, 14 *dormitum eunti* (dominæ).

δ) Jubeo. — 8, 13 Id *dedecus* castrorum *propelli jubet*. 15, 10 Et *objurgari jussit servum* garrulum.

v. — Superest ut de particulis conjunctivis loquamur. Quod ad particulas eas attinet quibus cum *præcipua subjecta* verborum comprehensio conjungitur, hoc notatione dignum videtur, sicut in veteribus (1) ita in novis fabulis et post adverbium « *simul* » conjunctiones « *ac*, *atque* » sæpius Phædrum recidere,

20, 4 Quorum inter villos *simul hæserunt* canceres. 28, 8 Venator namque *simul invenit* remedium,

et in simplice interrogatione non « *ne*, *num* » sed « *an* » (2) usurpare :

11, 3 Interrogavit *an* plus adversarius valuisset.

Nulla re forsitan manifestior erit inter novas et veteres fabulas similitudo quam iis, quibus inter se cohærent ejusdem ordinis membra vocesve, conjunctionibus : namque ut in fabulis antiquis (3) ita in novis nunc singulæ voces conjunctione « *et* » copulantur

8, 5 Cum veste *et* auro *et* magno argenti pondere,

nunc omnis demitur conjunctio

6, 9 Patriam, parentes, natos, castas conjuges defendite.

---

(1) Cf. p. 81.
(2) Cf. p. 79.
(3) Cf. p. 83.

15, 3 Vestem, uniones, aurum, argentum sumeret.
30, 7 Grilli, scarabaei, locustarum copia,

interdum cum ceteris membris aut vocabulis ultimum vocabulum membrumve per « *et* » conjunctionem copulatur (1) :

4, 7-8 Facie simulacrum pari, Una statura simile *et* membris omnibus.
14, 9-10 Pompa explicatur, turba concurrit frequens *Et* conjugalem præbet Hymenæus facem.

Ita demum a bonorum scriptorum usu recessisse Phædrum diximus, cum, primis enumerationis vocabulis conjunctione copulatis, cetera ex omni exsolverit conjunctione :

3. 17, 2-4 Quercus Jovi *Et* myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea, Pinus Cybebæ, populus celsa Herculi.

Cui loco hunc fabularum novarum locum simillimum esse judicamus :

2. 5 sq. Elephanti vires *et* leonis impetum, Cornicis ævum, gloriam tauri trucis, Equi velocis placidam mansuetudinem.

III

Ut oratione simillimas inter se veteres et novas fabulas invenimus, ita non minus pares easdem, si carminum rationes spectabimus ac nonnullarum dictionum prosodiam, inveniemus.

Cum autem in libri *de re metrica* opusculo primo (2) Lucianus Mueller de Phædri metrica arte

---

(1) Cf. p. 85.

(2) Luciani Muelleri *de Re Metrica* poetarum latinorum præter Plautum et Terentium libri septem. — Accedunt ejus-

copiosissime et acutissime disputaverit, hoc demum operis mihi supererit, ut num eadem illa quæ in notis fabulis observaverit L. Mueller, in novis quoque reperiantur, summo studio perspiciam.

I. — DE CARMINUM RATIONE

Liberis quidem trimetris usus est Phædrus, ita tamen ut quibusdam legibus diligenter obsequeretur :

a) Etsi in omnibus metri partibus, excepta ultima, spondeos et iambos Phædrus promiscue ponit, quinto tamen pedi spondeum potissimum reservat. Verum et ibi admittitur iambus, si terminetur versus vocabulo plus quam trisyllabo :

I. 11, 10 Ranæ vagantes liberis *pălūdĭbŭs*

Idem in novis fabulis observes :

3. 16 Traxitque ad terram nasi *longĭtūdĭnēm.*

4, 6 in disciplinam nuper quem *rĕcēpĕrăt.* Cf. ibid. 14; 5, 5; 7, 4. 6; 10, 2; 13, 9. 30; 14, 15; 18, 6. 7; 21, 9.

In his quoque versibus eadem licentia observatur, in quibus amphibracus (◡ — ◡) vel creticus (— ◡ —) cum monosyllabo insequente vel præcedente coalescunt in unum :

---

dem auctoris opuscula. In ædibus B. G. Teubneri, Lipsiæ. 1861.

Cf. Phædri Augusti liberti Fabulæ æsopiæ. Recognovit et præfatus est Lucianus Mueller. Lipsiæ 1883 (Vide præf. pag. 8, sq.).

4. 12, 7 Odi, inquit, illum quia malis *ămīcŭs ĕst.*
2. 5, 7 Trepide concursans, occupata *ĭn ōtĭō.*

Idem in fabulis novis occurrit :

14, 5 Moerens propinquos contulit se *ĭn hōrtŭlōs.*

β) Ubique quidem, sed potissimum in primo ac quinto pede Phædrus anapæstum collocat; nunquam vero binos continuat pedes ejusmodi. Quæ metricæ leges ita sedulo in triginta novis fabulis observatæ sunt, ut in primo pede (1) quadraginta duos, in quinto (2) viginti quinque, in ceteris (3) autem pedibus sex demum anapæstos invenerim, neque unquam bini anapæsti continui mihi obvii fuerint.

γ) Proceleusmatico (◡ ◡ ◡ ◡) prima demum senarii sedes reservatur : nusquam vero ejusmodi pedem in fabulis novis reperi.

δ) Huic rei Phædrus diligenter studet, ne *tribrachorum* aut vocum in tribrachum exeuntium partes pænultima et ultima sub ictum sit rhythmicum : quam legem et in veteribus et in novis fabulis summa religione observatam videmus (4).

---

(1) 1, 3; 2, 5. 8; 3, 6; 4, 4. 15. 23; 6, 4. 8. 9; 8, 9. 15. 17. 34; 9, 12. 14; 11, 4. 9; 12, 1. 3. 4; 13, 10. 11; 14, 6. 20. 27; 15, 7. 15; 19, 5. 7. 8. 9; 20, 2; 21, 4; 23, 5; 24, 1. 6. 7; 27, 6; 28, 6; 30, 6. 8.

(2) 3, 14; 4, 1. 10; 5, 7; 6, 7. 14; 8, 9; 9, 13; 10, 5; 13, 28; 14, 1. 8. 20; 15, 7; 16, 3; 17, 1; 18, 15; 19, 3; 20, 7; 25, 1; 26, 1; 28, 5. 9; 29, 6; 30, 10.

(3) 2, 3; 4, 11; 8, 4; 10, 3; 28, 7; 30, 7.

(4) L. Mueller. De R. Met. p. 418.

ε) Quinti pedis arsin, nisi vocabulum plus quam trisyllabum numerum claudat, non licet exsolvi. Desciisse quidem ab illa lege hos versus credideris :

5. 7, 22 Quidam in conspectum proditurum *sine mora.*
Nov. fab. 9, 6 respondit illa : quidquid dederis *satis erit.*

Quemadmodum autem in illo versu ideo vitium minuitur quod « mora » cum præpositione « sine » arctissime conjungitur et quasi in unam duæ voces coalescunt, ita in hoc versu « satis erit » unius instar vocabuli haud immerito potest haberi (1).

ζ) Arsin diduci, sequente anapæsto vel tribracho, non licet : nusquam violatam eam legem invenimus.

θ) Quod vero L. Mueller affirmat, cæsuram penthemimerem multo frequentius apud Phædrum occurrere, ita novis quoque fabulis convenit, ut in quinque et quadringentis versibus, e quibus constat fabularum novarum appendix, tres et triginta demum hephthemimeres cæsuras invenerim (2).

Affirmat L. Mueller, cum cæsura sit hephthemimeres, aut post secundum pedem metrum incidi

« Quod arbores | loquan | tur, non tantum feræ »,

aut incisionem eam, si bini post secundam thesin trochaei uno contineantur vocabulo, negligi posse

« Cum tristem servitutem flerent Attici ».

---

(1) Ibid. ibid.
(2) 2, 1 ; 3, 6; 4, 5. 20. 21 ; 5, 1. 2. 8, 18; 6, 2. 11. 13; 7, 7; 8, 10. 13. 15; 9, 3. 12; 10, 8; 12, 2; 13, 2. 19; 15, 12; 18, 10. 15; 19, 3; 24, 2. 3; 26, 4. 14; 28, 7; 29, 4; 30, 12.

Hic autem erravisse mihi videtur celeberrimus ille scriptor germanicus : nempe multa e Phædri fabulis exempla possim excipere (1) ubi, quamvis cæsura sit hephthemimeres, neque ulla post secundum pedem incisio neque post secundam thesin bini trochaei continui observentur. Idem in fabulis novis animadvertas : quemadmodum enim sæpius evenit ut versus, si cæsura sit hephthemimeres, post secundum pedem incidatur, ita multos sane versus invenias in quibus neque post secundum pedem incisionem, neque post secundam thesin binos illos, de quibus diximus, trochæos deprehendas :

4, 21 Mendácium adpellá | tum est, quod negántibus.
5, 8 Avári describûn | tur, quos circûmfluit. Cf. 8, 15; 9, 3; 10, 8; 15, 12.

II. — DE NONNULLARUM DICTIONUM PROSODIA.

Superest ut de nonnullis dictionibus loquamur, quarum *prosodia*, digna sane quæ observetur, et in antiquis et in novis fabulis eadem occurrit. Hæc potissimum vocabula memorabo :

α) *Deinde* semper disyllabum (1. 3, 6; 13, 5; 3. 10, 20).

Cf. Fab. nov. 14, 24 : et admirantur : *deīnde* domino nuntiant.

---

(1) Ex. causa : I. 10, 10 Te crédo subripuísse quod pulchré negas. 11, 10 Leónis adfligûntur horrendo ímpetu. — 12, 1 Laudátis utilióra quæ contémpseris...

β) *ērunt* perfecti sæpe corripit Phædrus (2. 4, 24; 3. 2, 19; 8, 5; 4. 16, 2; 20, 16).

Cf. Fab. nov. 13, 7 Cruci suffixi *luĕrunt* poenas numini.
20, 4 Quorum inter villos cancri simul ut *hæsĕrunt.*

γ) *Religio* corripit primam syllabam :

4. 11, 4 Repente vocem sancta misit *rĕligio.*
Cf. Fab. nov. Tripodes moventur, mugit adytis *rĕligio.*

δ) *Reperi* semper producit primam syllabam, geminata plerumque consona :

1. Pr. 1 Æsopus auctor quam materiam *rēpperit.* Cf. 3, 12, 2; 10, 43; 4. 5, 49; 11, 15.

Idem in fabulis novis observatur :

12, 5 Si *rēpperisset* aliquis hanc prudentior.

ε) *Vide* corripit ultimam syllabam :

3. 6, 3 *Vidĕ* nē dolone collum compungam tibi.
Cf. Fab. nov. 10, 14 *Vidĕ* nē querela major accrescat domus.

Quid plura ? Veteres et novas fabulas, sive orationem sive carminum rationem ac quorumdam verborum prosodiam attendas, esse simillimas inter se jam manifesto apparet. Quæ cum ita sint et jam gravissimis argumentis Phædro adscribi debere fabulas novas probatum sit, non diutius in hac quæstione immorandum esse, sed potius opera, quorum origo jam non dubia sit, auctori suo referenda esse judico.

INDEX RERUM